

MOSES VINDICATUS;

SIVE

ASSERTA HISTORIÆ CREATIONIS MUNDI aliarumque,

Quales à MOSE narrantur, Veritas.

Adversus CL. V. T. *Burnetii* S.T.D. *Archæologias Philosophicas.*



AMSTELODAMI,

Apud GEORGIUM GALLET.

M. DC. XCIV.



MOSES VINDICATUS;

SIVE

ASSERTA HISTORIÆ

Creationis mundi, aliarumque,

Quales à Mose narrantur, veritas, Adversus CL. V. T. *Burnetii* S. T. D. *Archæologias Philosophicas*.

PRÆFATIO.

QUAMVIS nulla forsan ætas ab initio rerum elapsa sit, quæ, vel erroribus commaculata, vel turbata dissidiis, vel etiam bellis quassata non fuerit atque infestata; nullam

Iam tamen præteriisse existimo in qua omnia illa malorum genera, magis quam hacce nostra, simul grassata fuerint. Armorum fremitu ac fragore totus fere mundus perstrepit.

Ad stygios manes Laceratus ducitur orbis.

Quibus nefas est arma tractare, stylo ac lingua invicem sæviunt, rerum Sacrarum Ministri. Et cum paci studere, tranquillitatemque publicam promovere omnium maxime teneantur; ut inventis suis, ne privatis dicam affectibus, faveant Civitates, Provincias, regna integra clamoribus miscent, hostiumque injuriis quotidie exponunt. Et quid dicam de infausto illo, quo non pauci tenentur, nomen sibi erro-

erroribus comparandi pruritu? Satis non habent ſcilicet veteres ab orco revocare, nunquam in lucem protrahendas, veram orci progeniem, opinionum larvas. Ne omnia Hæreticis, qui ipſos anteiere, debeant, nova cudunt dogmata, quæ, vel riſum, vel bilem venturis movebunt ſæculis, noſtrumque miſerum in modum aut afficiunt, aut deturpant.

Scriptorem vidimus, qui manifeſto Judæorum Chriſtianorumque ludibrio, ne longe plurium dicam, multum operæ, temporiſque perdidit, ut probaret longam numerare potuiſſe *Adamum* avorum, proavorumque ſeriem. Prodiit aliquanto poſt alius, qui non *Evam* ſolummodo primi

hominum parentis uxorem; ſed omnes omnino fœminas, nihilominus quam jumenta, arcendas ab æterna ſalute, auſu impio magis an ridiculo dubium, affirmare ſuſtinuit. Illis ſeſe adgregavit haud ita pridem libertatis Evangelicæ novus aſſertor, qui, ne qua forte in re Judæi genteſque barbaræ ſeſe ſupra Chriſtianos jure merito efferrent, plures ſibi adjungendi uxores facultatem ultro, ac nemine, puto, flagitante, Chriſti diſcipulis largitus eſt. Sed quid in iſtis hæreo? Exſtitere quidam, atque etiamnum exſtant, qui ipſum movere *Acheronta* aggreſſi ſunt, ac *Plutonia regna*, quod nullus unquam tentavit *Hercules*, populari.

Quam-


Quamquam illa, aliaque, quæ hodierno die hic & illic pullulant, opinionum portenta ſatis ſuperque ſint ad ſempiternum temporibus noſtris dedecus, boniſque omnibus ſummum dolorem conciliandum; acceſſit tamen cæteris, paucis ab hinc diebus, partus quidam ingenii minimè vulgaris, qui multo majus Religioni detrimentum minitatur. Præter quam enim quod parens illius raram in cauſæ ſuæ præſidium eruditionem adſcivit, eruditionemque ingenii ſagacis ac perſpicacis acumine illuſtravit, & utrumque ea ſtyli condiit ubertate atque elegantia, quæ, paucis exceptis παρυράμασι, lectorum animos mire capiunt, atque oblectant;

periculoſius Religionem adoritur, quod illam adjuvandi promovendique ſpeciem quæ vibrat adverſus illam telis prætendit.

Præfat. P. I. lib. II. cap. II. p. 211. & cap. VII. p. 297. &c.



Sin-



CAPUT I.

Singularia quædam circa auctoris Archæologiarum Philosophicarum *principia.*

CUM ergo Christianæ fidei causa agatur, cujus pretium nullæ exæquent Arabum Gazæ, nostrum est, quotquot sumus quibus illius tutelam commisit Misericors Deus, ad illius auxilium, sine mora accurrere, ejusque hostes pro virili propulsare. Arma quæ illi commodabimus ipsa adjuvabit, exacuet, sustinebit. Nulla nos deterreat imbecillitatis nostræ conscientia. Nulla animos frangat hostium potentia. Quidni cum illis manus ausimus conferere, qui Sanctis Dei hominibus, ipsique adeo Im-



MOSES VINDICATUS;

SIVE

ASSERTA HISTORIÆ Creationis mundi, aliarumque,

Quales à Mose narrantur, veritas, Adversus CL. V. T. *Burnetii* S. T. D. *Archæologias Philosophicas.*

PRÆFATIO.

QUAMVIS nulla forsan ætas ab initio rerum elapsa sit, quæ, vel erroribus commaculata, vel turbata dissidiis, vel etiam bellis quassata non fuerit atque infestata; nullam

Iam tamen præteriisse existimo in qua omnia illa malorum genera, magis quam hacce nostra, simul grassata fuerint. Armorum fremitu ac fragore totus fere mundus perstrepit.

Ad stygios manes Laceratus ducitur orbis.


Quibus nefas est arma tractare, stylo ac lingua invicem sæviunt, rerum Sacrarum Ministri. Et cum paci studere, tranquillitatemque publicam promovere omnium maxime teneantur; ut inventis suis, ne privatis dicam affectibus, faveant Civitates, Provincias, regna integra clamoribus miscent, hostiumque injuriis quotidie exponunt. Et quid dicam de infausto illo, quo non pauci tenentur, nomen sibi erro-

erroribus comparandi pruritu? Satis non habent ſcilicet veteres ab orco revocare, nunquam in lucem protrahendas, veram orci progeniem, opinionum larvas. Ne omnia Hæreticis, qui ipſos anteiere, debeant, nova cudunt dogmata, quæ, vel riſum, vel bilem venturis movebunt ſæculis, noſtrumque miſerum in modum aut afficiunt, aut deturpant.

Scriptorem vidimus, qui manifeſto Judæorum Chriſtianorumque ludibrio, ne longe plurium dicam, multum operæ, temporiſque perdidit, ut probaret longam numerare potuiſſe *Adamum* avorum, proavorumque ſeriem. Prodiit aliquanto poſt alius, qui non *Evam* ſolummodo primi

hominum parentis uxorem; ſed omnes omnino fœminas, nihilominus quam jumenta, arcendas ab æterna ſalute, auſu impio magis an ridiculo dubium, affirmare ſuſtinuit. Illis ſeſe adgregavit haud ita pridem libertatis Evangelicæ novus aſſertor, qui, ne qua forte in re Judæi genteſque barbaræ ſeſe ſupra Chriſtianos jure merito efferrent, plures ſibi adjungendi uxores facultatem ultro, ac nemine, puto, flagitante, Chriſti diſcipulis largitus eſt. Sed quid in iſtis hæreo? Exſtitere quidam, atque etiamnum exſtant, qui ipſum movere *Acheronta* aggreſſi ſunt, ac *Plutonia regna*, quod nullus unquam tentavit *Hercules*, populari.

Quamquam illa, aliaque, quæ hodierno die hic & illic pullulant, opinionum portenta ſatis ſuperque ſint ad ſempiternum temporibus noſtris dedecus, boniſque omnibus ſummum dolorem conciliandum; acceſſit tamen cæteris, paucis ab hinc diebus, partus quidam ingenii minimè vulgaris, qui multo majus Religioni detrimentum minitatur. Præter quam enim quod parens illius raram in cauſæ ſuæ præſidium eruditionem adſcivit, eruditionemque ingenii ſagacis ac perſpicacis acumine illuſtravit, & utrumque ea ſtyli condiit ubertate atque elegantia, quæ, paucis exceptis παρυράμασι, lectorum animos mire capiunt, atque oblectant;



CAPUT I.

Singularia quædam circa aucto- *ris* Archæologiarum Philosophicarum *principia.*

CUM ergo Christianæ fidei causa agatur, cujus pretium nullæ exæquent Arabum Gazæ, nostrum est, quotquot sumus quibus illius tutelam commisit Misericors Deus, ad illius auxilium, sine mora accurrere, ejusque hostes pro virili propulsare. Arma quæ illi commodabimus ipsa adjuvabit, exacuet, sustinebit. Nulla nos deterreat imbecillitatis nostræ conscientia. Nulla animos frangat hostium potentia. Quidni cum illis manus ausimus conferere, qui Sanctis Dei hominibus, ipsique adeo Im-

mortali atque omnipotenti Deo, bellum inferre nîl reformidant?

Tria ſunt in *Archæologiis Philoſophicis*, quorum nobis, pro rerum pondere, ſubeundum eſt examen. Primum quidem eſt ipſa operis materia; ſecundum varia argumentorum genera, quibus illam, vel communire, vel etiam illuſtrare, auctor conatus eſt: Tertium πάρεργα nonnulla, quæ, tanquam aliud agens, vel hominum experturus judicia, hic, illic, prout ferebat occaſio, interſperſit.

Ab ultimis hiſce ut exordium ſumamus, ratio jubet. Poſtquam enim illis expediti ſemel fuerimus, reliquorum examen, quod utramque, ut loquuntur, facere paginam debet, ſponte & abſque remora decurret. Hic

Hic ſtatim oculos noſtros ſubeunt duo, genere quidem multum diſſimilia, ſed Eccleſiæ Chriſtianæ ex æquo inaudita. Prius eſt jumentorum in futuro ſæculo, quale ſibi finxit *Burnetius*, felicitas, immunitaſque a laboribus, quibus illorum vita, pariter ac noſtra, miſere vexatur. *Servire* (inquit) *dicitur creatura, ſive ſervitutem pati, propter labores ſerviles, tam hominum quam jumentorum, in hoc ſæculo; quibus in venturo exonerabuntur.* Macti, Aſini omnes vitæ veſtræ ærumnas, ſatis duras, ſane ac frequentes, aſperitatem omnem æquis animis tolerate. Quæcunque vobis imponentur onera, ad Piſtrinum, ad fontem, ad quemvis alium locum alacriter, nedum patienter, portate in poſterum, ἀνέχεσθε placidi

Lib. II. cap. II. p. 214.

cidi καὶ ἀπέχεσθε. Aderit aliquando tempus, (quod in dubium revocare ſit generi veſtro nefas, cum id vobis præſtet vir, præ quo multi homines meri aſini videantur) aderit (inquam) tempus, quod vos veſtrique ſimiles omni onere levatos ſempiterna donabit libertate.

Verum, licet dignior ſit quæ riſu quam rationum momentis explodatur opinio illa SemiMuhammedica, ſeriis illam oculis obiter inſpiciamus. Secundum Hebræorum conſuetudinem, ad quam ſtylum ſuum finxere Novi Teſtamenti Scriptores κτίσεως, ſeu *creaturæ*
Rom. 8. nomine *Paulus* humanum ge-
19. 20. nus deſignavit. Ita *Marcus* ubi
21. 22. *Chriſtum* inducit Apoſtolos
Marc. lucem Evangelii ſui ad univer-
16. 15. ſas gentes deferendi munere donantem, hæc illi verba tribuit:

buit : πορευθέντες, εἰς τ̃ κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει. Neminem sui compotem adhuc exstitisse puto, qui ex generali illa voce inferre ausus fuerit debuisse Apostolos, vi mandati illius, Lupos, Picas, Mulos, ad instar *Assisiensis* illius hypocritæ, Dei nomine alloqui, & ad pœnitentiam adhortari. Eandem illam vocem adhibuit etiam *Petrus*, cum debitum Potestatibus obsequium nobis injungit. ὑποτάγετε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, (inquit) εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, &c.

In quem locum ψ. *H. Hammond. Isaac. Casaubon. ep. 24. ad Car. Labb.*

1. *Pet. II.* 13. 14.

Quidni ergo *Paulus*, apud quem tam frequentes occurrunt hellenismi, κτίσεως nomine solos Adami posteros, una cum *Petro* ac *Marco*, ne dicam *Christo*, designaverit?

ſi per ſervitutem labores ſerviles intellexerit Apoſtolus, quibus addicta tam multa animantum genera videntur, plurimum certe coercenda erit vocis *creatura* ſignificatio. Plantæ, arbores, metalla, lapides, & quidquid halitum non ducit, vanitati illi, qua peccati virus naturam omnem dehoneſtavit, erit eximendum. Tigrides, leones, elephanti, atque univerſum ferarum genus, quæ, non ſolum jugum excuſſere, ſed a genere noſtro magis, quam nos a catulis, timentur, erit ex albo creaturarum expungendum. Dracones, crocodili, ceti, omniaque ferme animantia, quæ, vel excelſæ aeris regiones, vel marium inacceſſi immenſique receſſus manibus oculiſque noſtris ſubducunt, erunt ex creaturarum

rum ordine removenda. Et, ne quid hic de malis geniis dicam, qui hominibus tantum non ſerviunt, ut a multis populis divinis honoribus afficiantur, ſecundum ipſa doctiſſimi *Burnetii* principia, voce *creaturæ* omnia non comprehendit *Paulus* quæ ſolent creaturæ nomine vulgò appellitari. Quid ergo obſtat, ſiquidem limitibus quibuſdam vox illa definienda ſit, quominus de hominibus ſolis, ſecundum Hebraicæ, atque adeo helleniſticæ linguæ, proprietatem, ſit intelligenda?

Si mihi eſſet animus volumen integrum, non tenuem ſcribere diſſertationem, ex ipſa Apoſtoli oratione demonſtrarem, vocem *creaturæ* illum ultra humanum genus non protraxiſſe. Verum alia nunc res agitur, nec nobis

bis licet eſſe tam prolixis.

Jumentis cum ita faverit *Burnetius*, ut ad ea τῆς παλιγγενεσίας beneficia perducta voluerit, mirum eſſe cuiquam non debet, ſi *Meſſiæ* animam privilegio cohoneſtarit, quod ad reliquas animas nemo, præter Philoſophos quoſdam fidei noſtræ imperitos, pertinere unquam exiſtimaverat. *Mundi* (inquit) *periodis & fundationi præexſtitit anima Meſſiæ, & œconomiæ Chriſtianæ myſterium.* Vadem quæris novæ & Chriſtianis animis hactenus inacceſſæ ſententiæ? Nullum tibi ſiſtet *Burnetius*; nec auſus eſt fortaſſis in Platonicorum ſcriptis inveſtigare. Fac ergo, ſuppleamus, quantum poſſumus, illius vices, teſtemque adducamus illius, aut non valde abſimilis opinionis; ne forte ſom-

nium

nium habeatur. Parum dignum, fateor, judicabunt nonnulli, qui Christianis accenseatur. Sed quid illud refert? Nonne *Moses* atque *Mosis* historia ex *Orphei*, *Thaletis*, *Pythagoræ*, similiumque sententia hodierno die emendantur.

Auctor quidam, cujus meminit *Loyolitarum* eruditissimus, tres ex cerebelli sui fumo finxerat Magos; *Henochum*, *Melchisedecum*, *Eliam*. *Melchisedeco* autem ipsam lucem posteriorem fuisse asserebat. Atque ex eo inferebat, quod, cum Christus, ex *Pauli* judicio, *Melchisedeco* similis fuerit, antemundanum hominem nihilominus quam *Melchisedecum* ipsum, fuisse oportuit. Hac sola in re ab auctore illo differt *Burnetius*, quod nihil in *Messia* mundo anti-

Dionys. Petav. dogmat. Theol. Tom. III lib. I. c. VI. §. 3.

antiquius, præter ipsius animam agnoscat, Judæis Doctoribus paulo liberalior, qui quem honorem *Burnetius* Messiæ animæ, illius tantum nomini delatum volunt. Ille verò *Messiam* integrum *ante Luciferum*, proprio ac nativo sensu, genitum putarit. Quis propius a vero aberrarit, arduum mihi videtur definire. Uterque sanè de *Socini* discipulis non ita male, mea quidem sententia, meritus est.

Muïs. in Ps. LXXII. 17.

Hæretici illi (ne a proterva recedant Hæreticorum indole) *Molinæi* ac *Cunæi* de *Melchisedeco* opinionem contumeliosis excipiunt cachinnis. *Cunæum de Republica Hebræorum legi*, (inquit) *Martinus Ruarus*, *neque parum, inde, quod fateor, profeci: quanquam intercurrunt nonnulla*

Epist. part. I. epist. V. p. 41.

nulla, quæ malim judicii severioris lima ab illo admorsa fuisse; quædam etiam, in quibus lauro tibi opus esset, cujus esu risum coerceres, quale est hoc, quod ex Epistola ad Hebræos probare conatur, Melchisédecum ipsum fuisse Christum.

At vero, ubi ipsam Christi naturam humanam, qualem illis solam libet agnoscere, vel saltem potissimam illius partem prius ex creatoris dextera exiisse audient, quam ullum ex operibus quæ oculis nostris obversantur, spes non levis adfulget fore ut dogma illud utraque ulna amplectantur, utpote suo magis idoneum solvendis quibusdam sacrarum litterarum nodis, quibus arcte nimis vehementerque jam dudum constringuntur. Bene ergo sit

ſit illis ſcriptoribus, pro ſtudio quod ad Hæreticos ab erroribus ſuis abducendos conferunt. Utiliorem fortaſſis illorum inſtitutioni operam navaſſet *Burnetius ſi animæ Meſſiæ œconomiæ Chriſtianæ myſterium* non adjeciſſet. Vereor enim ne hauſtam ex Theologia ſua illam προϋπάρξεως *Meſſiæ* definitionem deprædicent; quare periculum eſt, ne in erroribus ſuis obfirmentur.

CAPUT II.

Adducuntur nonnulla alia eodem ſpectantia.

ITA ferme cum omnibus qui lapſi ſunt in aliquem errorem comparatum eſt ut in alium aliumque in dies præcipiti

cipiti caſu delabantur. Quemadmodum enim vix ullum invenias virum, qui unico ſit affectui obnoxius; perquam etiam paucos videas, qui unicum foveant errorem. Alter alterum, fatali quadam ubertate, progignit. Et ubi ſemel a via aberraveris, magis magiſque à Scopo, ad quem iter dirigebas, recedis. Illud, ſi cujuſquam alterius, eruditiſſimi ſcriptoris, cujus nunc libramus devias a recto tramite opiniones, docet exemplum. Licet in nonnullis non ita alienus ab *Epicuro* videatur, in tribus tamen imaginis Philoſophi illius, quam ipſe nobis adumbrat, lineamentis totus ab eo differt. *Vir* enim, ſecundum *Burnetium*, parum eruditus erat *Epicurus*. Eruditione varia ac recondita præſtat *Burnetius*. *Antiquo*-*bar*- *Lib. I. c. XIII. p. 185.*



barbara & vetustissima ignoravit Epicurus. Pristina & remotissima a suo sæcula ita perlustravit *Burnetius*, ut illum hoc nostro orbe antiquiorem putes, ejusque haud multò post *Messiæ* animam creatam fuisse. *Novis inveniendis impar erat Epicurus.* Ad nova cudenda adinveniendaque ita factum sese probat *Burnetii* ingenium, ut nisi ratum apud illum esset *deinceps a laboribus requiescere*, metuendum esset ne, una cum nova tellure, novum nobis cœlum, novos inferos, novum plane Theologiæ Systhema, tandem obtruderet.

In fine præfat.

Errores quos in illius *Archæologiis* animadverti ad duo plane genera possunt reduci. Primum est eorum quos conceptis verbis & absque diverticulo prompsit Auctor. Secundum est illorum, quos

quos non ita perſpicue, ſed quodam quaſi integumento obvolutos propoſuit.

Prioribus illis injuriam acceſeo quam infert naturæ noſtræ, cum eam denudat imperio, quo illam Deus in cæteras creaturas donaverat. In meram enim allegoriam aut συγκατάβασιν ea transfert, quæ à Moſe de imperio illo narrantur. Qua in re, non ſolum hiſtoriæ *Moſaïcæ* veritatem convellit; ſed & ſpiritum, quo impulſus *David* Pſalmos ſuos compoſuit ac modulatus eſt, invidioſa nimis contumelia afficit. Ecquid enim ipſi Deo fabulas narrabat vates, ut eum demulceret, quemadmodum olim apud rerum omnium rudem populum *Moſes*, ſi Deo placet, ſeſe gerebat? Numquid ex ficta ad imprimendum

Lib. II. c. VIII. p. 314. & alio etiam in loco.

mendum Judæorum animis quemdam Religionis ſenſum donatione anſam arripuit Divini Numinis erga hominem largam & beneficam manum deprædicandi? *Dominum* (inquit) *operum manuum tuarum eum conſtituiſti, cuncta ejus pedibus ſubdidiſti; greges & armenta univerſa, etiam jumenta campeſtria, volucres quæ in aere, & piſces qui in mari verſantur, & quidquid per maris itinera tranſit.* Quis credat mendaciorum, ut ita loquar, thure Dei nares oblectari, a quo veritas omnis originem trahit, quique *Deus veritatis* κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur.

Ps. VIII. 7. 8. 9.

Hominem, quem ſupra ipſum beatorum Angelorum Chorum evexit Dei filius, non ſecus ac *Burnetius*, deprimebat olim *Hieronymus Cardanus*. Sed nimis hu-

humanam, quamquam hominibus parum faventem, illius Philosophiam valide atque ingeniose, pro more suo hisce verbis compescuit humaniorum literarum ævo suo lumen, *Julius Cæsar Scaliger.* *Dico rerum omnium omnes species propter hominem conditas esse: etiam Cœlos ipsos apud vos Astrologos. Quid enim gubernarent, si te non gubernant? Muscam? nequaquam. Præterea facto homine quievit Deus. Tum etiam Sabbathum factum est propter hominem, non autem homo propter Sabbathum. Sed & propter hominem homo Deus factus est. Cæterum quia vobis Philosophis nostra simplicitas contemptui est, paulo crassius agamus. Cui rei facta est habitatio? animalibus. Quis eorum omnium auctor? Deus. Quis secundum Deum & cum* De Subtilit ad Cardan. exercit. 250.

 Deo?

Deo? Cœli. Quis Cœlos fecit? Deus. Quod animal nobilissimum? Homo. Propter hominem ergo Cœlorum actiones. Igitur & propter hominem cœli ipsi. Ipse quoque Philosophorum princeps μικρόκοσμον appellat hominem. Nec pluribus interjectis. *Homo propter Deum: propter hominem mundus factus est: quando & habitatio, & cibi, & alia, quæcunque supra dicebamus propter animalia. Animalium vero princeps homo.* Sed homini plus satis datum est. Ad Deum, Deique causam redeat oratio.

Nocuisse posteris suis Adamum, impositi sibi a Deo mandati violatione satis aperte negat *Burnetius. Quod de posteris ipsius adjicis,* (inquit) *eorumque pœna, id non exprimitur in lege. Nullæ autem leges*

Lib. II. c. VII. p. 191.

eges sunt torquendæ, minime œnariæ. Mitto quæ eam in em centies a Theologis dicta sunt. Personam quam sustinebat Protoplastes, quamque eum sustinuisse res ipsa eclarat, prætereo. At certe emperare mihi non possum uin de homine Christiano, multo gravius de Theologo conquerar, qui divinæ gis interpretem *Paulum* Rom. V. 12. 13. 14 & ss. postolum agnoscere detreat. Quid unquam ille clarus, quam infectam ab *Adamo* universam illius progeem, docuit? metuendum ofecto, si scriptorum quondam non coerceatur licen-, ne in desuetudinem senn abeat ipsum Evangelium, que naturalem Philosoiam, pro Atheorum omum votis, Religio tandem ficiat. Audiant, siquidem

illud audire ſuſtineant, aures Chriſtianæ, qua arte auctor noſter pœnam *Adamo*, propter illius inobedientiam, inflictam eludere conetur. *Sentiunt* (inquit) *nonnulli, quibus non refragor, ideo in leviuſculum, ut videtur, peccatum, tantam pœnam conjeciſſe Moſem, quo legibus ſuis, quæ de rebus ſæpe minutis, neque ſua natura, aut bonis, aut malis, graviter decernunt, vim & authoritatem conciliaret.* Quocirca mirari ſubit variam hominum eadem de re ſententiam. *Adami* peccatum ita grave olim judicarunt *Saturnini, Marcioniſque* diſcipuli; ut eum illius de cauſa a cœleſti, non minus quam a ſublunari, ejectum Paradiſo, pariter cum *Tatiano*, exiſtimarint. Ex eoque nos omnes conjicimus, leviter non peccaſſe primum homi-

Ubi ſupra p. 296.

Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. Lib. IV. cap. 29.

hominum parentem, quod, ne ipse, illiusque posteri in desperationem sese conjicerent, animos illorum erigere promisso statim Salvatore, Deus, pro misericordia sua dignatus sit.

Cedo enim, *Burneti*, quid per illud *mulieris semen* intelligis, quo caput serpentis erat conterendum? *Messiam*? Tantine erat ad eluendam culpam leviusculam, discutiendumque ortum ex illo metum, ut promisso omnium maximo Deus, tam multis antequam ad exitum perduceretur sæculis, homini sese obstringeret? Ipsos qui ex lumbis *Adami* exituri erant homines? Quid inde, amabo, solatii accedebat *Adamo*, ipsiusque conjugi, quibus nemo magis solatio indigebat? Nihil aliud utrique quam ærum- *H. Grot. in Genes. III. 15.*

nas, labores, mortemque denunciat iratum Numen. Diras autem, quibus serpentem devovet spe quadam, veneno turgenti bestiæ non insuavi, demulcet. Pollicetur enim quod, si semen mulieris caput ipsius imminuat, insertis protinus pedi seminis illius mortiferis dentibus æternam sit de illo vindictam sumpturus. Neque enim in talo hominum hæret serpentum virus; ipsum vitæ fontem cito pertingit, inficit, obstruit, exsiccat. Unum addam, forte non invalidum, ad retundendum infaustum illorum acumen, qui dant operam omnibus quæ Mysterium sapiunt e sacris literis magno pietatis, magno Sapientiæ Divinæ detrimento, removendis. Si idem non sit illud *mulieris semen* cum promisso *Abrahamo* ipsius

psius *semine*, nîl habebant veteres qui ad illustrem illum credentium parentem vixere, quo animas suas sustentarent cultumque quem Deo exhibebant. Mortis enim comminationem in resurrectionis pollicitationem, cum Judæis nonnullis, convertere, Judaïcis quidem nugis dignum est; Theologiæ vero Christianæ nullomodo consentaneum.

Menass. Ben. Israel de resurr. mort. Lib. I. cap. I. §. 2.

Priusquam ad alia progrediamur, quid in illo *Burnetii* principio lateat veneni penitius introspiciendum. Quascunque lex intentat pœnas iis, qui vel minimis quæ cuique injungebat officiis defuissent in vana transformat terriculamenta ad gentem Judaïcam facilius gubernandam adinventa. Quo quid periculosius, potiusque ad evellendum ex

hominum animis omnem pietatis ſenſum excogitari poſſit, non video. Præterquam enim quod tanquam politicos nobis laqueos exhibet ad irretiendos credulorum hominum animos unice comparatos, loca omnia quæ Dei nomen auctoritatemque præ ſe ferunt; præterquam quod *Moſi*, *Minoa*, *Numam*, *Lycurgum*, *Muhammedem*, alioſque qui fraude ac mendacio conati ſunt pondus addere legibus ſuis, exæquat; præterquam quod, vel ſimulationis impiæ Prophetas accuſat principium illius, vel ſtuporis atque ignorantiæ; ipſum Domini noſtri *Jeſu Chriſti* Evangelium ſuſpectum palam efficit. Si enim Divinæ Sapientiæ non ſit rebus ad ſpeciem levibus pœnas graves adnectere, nullo diſcrimine poterunt

novæ

novæ legis Sacramenta contemni; nec valde metuendum erit quod ait *Christus*, fore ut *de quocumque verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddituri sint rationem in die Judicii.* Supplicium vero quo salaces oculos coercet benignus Redemptor strophis politicis nîl dubium est quin sit accensendum. Quis ergo veterum Christianorum simplicitatem non miretur, qui illis sese artibus tam misere duci patiebantur? Ἡμεῖς δὲ, (inquiebant illi) quo fidei nostræ sanctitatem apud illius hostes summopere commendarent, τοσοῦτον ἀδιάφοροι εἶναι ἀπεχόμεθα, ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν πρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι.

Matth. XII. 36.

Matth. V. 28.

Athenag. legat. pro Christian.

Ab illius Judæi sententia longe discedo, quo cum *Ph. Limburgius* suam instituit *de Christianæ Religionis veritate*

 dispu-

disputationem. Asserebat enim ille præstantius esse obsequium præceptis illis præstitum, quibus Judaïci ritus præscribuntur, quam quibus mores diriguntur, virtutes imperantur, vitiaque moralia interdicuntur. Sed, quantumvis absim ab illa sententia, adducere animum meum non possum, ut doctissimi *Burnetii* principio assensum præbeat. Tantum enim abest ut contumaciæ gravitatem minuat rei, vel præceptæ, vel prohibitæ, levitas; ut ex ea majorem labem contrahere videatur. Quo enim facilius est obsequium, eo gravior, ac pœna dignior inobedientia judicatur. Hoc *Mosis*, hoc *Bethsemitarum*, hoc *Saulis*, hoc ipsius *Petri* Apostoli docet exemplum. Quare mirum esse cuiquam non debet, *si*

Johan. XIII. 8.

Ada-

Adami culpæ tam gravis in-
cubuerit pœna. Quippe cui
tam facile esset servare manda-
tum, quod ab ore Creatoris
sui *ἀμέσως* acceperat. *Stulti
accusant delictum*, inquit Re-
gum Sapientissimus. *Primasius*
autem, *nemo periculosius pec-
cat, quam qui peccata defendit.*
Utrumque velim vir Doct.
intelligat, absque ulla ipsius
contumelia a me adductum.

Prov. XIV. 9.

In Epist. ad Rom. cap. II. v. 4.

CAPUT III.

Quædam alia in CL. Burnetii *principiis ac scribendi ratione notantur, quæ a debita Deo, Deique verbo reverentia nonnihil discedere videntur.*

EA nos Dei, eorumque
omnium quæ ad Deum
pertinent tenere reverentia de-
bet, ut nulla unquam de illis,

nisi honorifica, verba faciamus. *Tanta quippe est*, inquit *Salvianus*, *Majestatis sacræ, & tam tremenda reverentia, ut non solum ea quæ ab impiis contra Religionem dicuntur horrere; sed etiam quæ pro Religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu ac disciplina dicere debeamus.* Veritatem illam ex Philosophiæ suæ principiis hausit olim, atque expiscatus est omnium hominum facundissimus. *Mala* (inquit) *& impia consuetudo est contra Deos disputandi, sive animo id fit, sive simulate.* Atque iterum, *omnis igitur talis a Philosophia pellatur error, ut, cum de Diis immortalibus disputamus, dicamus digna Diis immortalibus.* Quibus principiis insistens *Sextus Pythagoreus*, *de Deo etiam quæ vera sunt loqui periculum esse*, &

De Gubernat. Dei L. I.

Cicer. denat. Deor. Lib. II. Lib. III.

& non parvum ; nihilque de Deo dicendum nisi quod a Deo didiceris, existimavit. *Sext. Pythag. sentent.*

Si quid animus recte conjicit, sique oculis defœcatis *Archæologias Philosophicas* decurrimus, noluit illarum auctor scrupulo illi, quantumvis justo ac Religioso, mentem suam stylumque mancipare. Quæ enim Literæ Sacræ referunt ad potentem, Sapientemque Dei Providentiam, ea omnino ille tributa naturæ viribus, ductuique adscripta voluit. Quam sententiam ne illi excidisse suspiceris, Philosophi non esse aliter sese gerere satis perspicue declaravit. *Sæpe id accidit* (inquit) VIRIS OPTIMIS, *Socratis & Clementis similibus, ut ex amore causarum Divinarum, inferiores & materiales negligant & fastidiant*. Illorum *Lib. I. cap. X. p. 144.*

rum ergo qui, non optimi quidem, sed boni tantummodo haberi cupiunt, quo Titulo magnam sibi partam gloriam *Phocion* olim putavit, hoc proprium est, ut præ nimio inferiorum causarum amore ad omnium supremam raro adsurgere dignentur.

Cornel. Nep. in ill. vit.

Ecce enim ut, illa omissa, rerum omnium eductionem in egregiam illam, in qua jam ab initio constanter permanent, formam more *Epicuræo* repræsentat. *Ut solent* (inquit) *animalcula, ex ovo aut verme in aliud & aliud insecti genus transire, donec formam ultimam attigerint: ita variis subinde mutationibus & fugitivis formis, ex Chao fit tandem tellus habitabilis.* Quis hæc a Christiano Presbytero scripta putet? Pergit *Burnetius*, & novam hancce proponit, solvitque

Lib. II. cap. II. p. 210.

quæ-

quæstionem: *qualis esset formæ & superficiei hæc tellus primigenia, cum primum compacta fuit ex Chao? an ejusdem cum hodierna, vel dissimilis?* Respondeo, (inquit) *constitui non potuit ab initio, in eadem, qua hodie est forma, tellus, propter montes & scopulos, & alveum maris, & hujusmodi inæqualitates, quæ immediate a Chao, sive in superficie massæ fluidæ, oriri non poterant.* Vides, vel nullas prorsus Deo in rerum productione partes fuisse, vel ita ipsum fuisse naturæ illarum adstrictum, ut cujusque rei naturalem ordinem, congenitamque propensionem sequi coactus fuerit. Nescio sane apud quos istiusmodi Theologia cuiquam possit *boni viri* laudem parere. Non apud *Muisium* certe *Muisiique* similes. Tantum

rum enim abeſt ut creationis gloriam Omnipotenti Deo præreptam vellet vir ille eruditus, ut illum quotidiana naturæ phænomena refundere, pietatis officium eſſe atque indicium exiſtimaret. *Fideles*, inquit, *Deo, haud naturæ, omnia quæ in terris fiunt adſcribunt. Stolidi & carnei homines pluviam cæca naturæ vi excitari putant. At ii, qui Dei verba edocti recte ſentiunt, quod tempeſtiva pluvia terram emolliat, fœcundet, id vero Deo præſertim acceptum referunt, & ſummum ejus beneficium certo credunt.* Quam doleo quemquam noſtrum in rebus divinis ab homine Pontificio ſuperari!

In Pſ. LXXXIX. 5.

Age, fac *Archæologum* adhuc audiamus, aliiſque demonſtremus argumentis quanto *Divam Naturam* affe-

ctu

ctu, quantaque veneratione prosequatur. Omnes Paradisi delicias suo illi Numini acceptas refert, nullasque earum, præter naturales inferioresque causas, adducit, vel etiam inquirit. Quod, non solum Scripturam Sacram arguit mendacii; sed Religionem primorum parentum plurimum, ne quid pejus dicam, labefactat. Si enim illi suam omnem felicitatem soli debebant naturæ, vel solum eam Numen habebant, agnoscebantque; vel eam saltem in societatem cultus, quem exhibebant creatori suo, admittebant. Ex eodem illo, Christiano minus, quam Epicuræo homine, digno principio factum est, ut illam sibi libertatem indulserit *Burnetius* in impugnandis iis omnibus quæ de *Expansi Lucisque* crea-

Sic eam appellat Lib. I. c. XI. p. 160.

Lib. II. cap. VI. p. 268.

Genes. II. 8.

Lib. II. c. VIII. p. 307. & 309.

creatione referuntur, quæ vel mansuetissimis ingeniis possit nauseam indignationemque movere. Cum de marium fluviorumque formatione disserit, Philosophum illum audire mihi videor, qui apud Lib. II. c. IX. p. 326. & 327. *Ciceronem* sciscitatur, quibus machinis immanis illa corporum moles, ex quibus orbis noster constat, potuerit ad formam suam, ordinemque perduci. Sed quid istis immoror? Creationis gloriam Dei præripit omnipotentiæ, eodemque modo productam terram, quo ferales cometæ nonnunquam efformantur, verbis non obscuris, docet.

Objicitur (inquit) *quærendo, si materia Chaos exstitit ante mundi Mosaici principium quid fuit, quem in finem exstitit, aut ubinam loci, ante illud tempus?* gravem sane arduamque

que quæstionem; sed quam facili, ac prope nullo negotio, solvit *Archæologus.* Animos, auresque arrigite, ut novam hauriatis, & hactenus inauditam disciplinam. *Respondeo* (inquit) *hæc non esse sollicitius quærenda, cum magna ex parte notitiam nostram fugiant.* Perbelle, sapienterque dictum. Mysteria sua Nycticoracis oculis cernunt, qui divina lynceis. Utcunque sit, mysteriis sese carere non posse necesse est agnoscant ad ejicienda e Religione Mysteria. Pergit tamen hisce verbis *Mosis Aristarchus*; quasi illum pœniteret quidquam menti suæ impervium agnovisse: *Sed vidimus quandoque novas stellas in Cœlo oriri, quæ nunquam antea apparuerant, quas tamen præexstitisse sub aliqua forma, & alicubi locorum, æquum est credamus.* Lib. II. c. IX. p. 316.

damus. Præterea cometas ſæpe in cœlo advertimus, quorum origo & primæ ſedes nos latent. Denique, neutiquam fingendum eſt, Cœlos eſſe incorruptibiles; corpora cœleſtia, perinde ac terreſtria, ſuas habent viciſſitudines & tranſmutationes; atque ipſæ fixæ in Planetas, mediante Chao, converti poſſunt: & viciſſim Planetæ, excuſſis ſordibus in fixas reviviſcere. Ea eſt rerum omnium creatarum inſtabilitas, & reciprocatio! Dolenda profecto ſors eſſet hujuſce quam incolimus terræ, ſi fluxæ iſtius naturæ non eſſet particeps. Quid enim eſt aliud terra quam *fæx & recrementum naturæ?* Ergo-ne ita ſalebroſa, ſqualida, horrida æternum jacebit, cæterarum mundi partium dedecus ac ludibrium? Abſit, abſit. Cum ſint vices rerum

Lib. II. c. VIII. c. 299.

rerum omnium, non est cur animum despondeat, aut syderibus suum invideat splendorem; Inexpectatæ vicissitudinis beneficio poterit aliquando in gloriæ consortium adsurgere cum astris, quæ præ cæteris micant, ne dicam astra omnia superare; si modo vehementi ac subito correpta concussu, sua omni crassitie exsolvatur.

Neque vero in finibus illis stat naturæ virtus, secundum *Archæologicæ Philosophiæ* principia. Nec *fidei Clypeo*, nec Spiritus Sancti lumine nobis opus est, si modo nos *Divæ* illius *Burnetianæ* ductui demisso obsequio committamus. Hæc vires abunde sufficit, quibus omnes frangamus Tentatoris impetus, Tartareasque machinas cassas omnino ac evanidas reddamus.

Hæc inconcussum ærumnis omnibus pectus præstat. Hæc certam nobis de affectibus cunctis, deque omnibus quibus inflammari affectus solent illecebris, victoriam largitur. Postquam enim miris laudibus invictam Jobi atque ὑπερνικῶσαν fortitudinem cumulavit *Burnetius*, illius encomium hoc claudit epiphonemate: *quantum possit Religio naturalis, magnum & memorabile exemplum.*

Lib. I. c. VI. p. 31.

Quid Diva valeat natura, nondum ista, quantumvis magnifica, satis declarant. *Thaletis* enim Philosophi exemplum docet, posse illam ad Propheticum lumen humanam mentem evehere. Hoc etiam commonstrat virtus olim *Cananitidi* insita; sed nunc φεῦ τῆς ἀλλαγῆς, extincta, ac plane deperdita

Lib. I. c. XI. p. 150.

dita. *Nulla gens per terrarum orbem* (inquit vir doctus) *nullus populus tantum abundabat Prophetis, ac viris Cœlesti Spiritu tactis, quantum Judæi.* Lib. I. c. VII. p. 44. Non deerant scilicet cæteris nationibus, quantumvis idololatriæ addictis, μάντεις ἀλάθεια πάντα λέγοντες: sed non ita eorum ferax gentium, ac recutitorum, tellus erat. *Ut ipsi solo & climati vis aliqua divina inhæsisse videatur.* Si *Mosi* licuisset Prophetarum Coryphæo beatæ illius telluris, vel leves quosdam haurire vapores, nedum pedem in illa figere, Papæ! in quantum evasisset cœlestium arcanorum interpretem! Sed, cum hanc illi veniam non indulserit Divina Sapientia, mirari non est æquum, si mediocrem tantum divæ *naturæ* ὑποφήτην illum agnoscat *Ar-*

chæ-

chæologo-Philosophus. Disceptari solet (inquit) *an traditione acceperit a quocunque, has suas origines, Moses, vel ipse primus instituerit? non video quo pacto hoc possit certo definiri, sed multo verisimilius mihi videtur, hanc Cosmopœiam, sive institutionem elementarem in naturalibus; perinde ac suam legem sive institutionem elementarem in moralibus, Mosi primum datam, vel excogitatam fuisse: nec istiusmodi quicquam a quavis gente antea receptum a quovis Philosopho aut Legislatore constitutum.* Profitetur quidem singulari Epistola *Burnetius*, antiquum illum Judaïcæ Reipublicæ conditorem se pro viro θεοπνεύςῳ habere; prout id Religio, pietasque postulant. Verum, si tam recte de *Mose* sentiebat vir

Lib. II. c. IX. p. 329.

vir doctus, dum *Archæologias* ſuas ſcriberet, fateatur neceſſe eſt, mentem ſuam ſeſe haud omnino feliciter fuiſſe elocutum. Neque enim talem de *Moſe* opinionem propoſita ab illo quæſtio, nec adjecta quæſtioni reſponſio poterat unquam Lectorum animis ingerere. Utcunque ſit, ſuam illi gratulamur confeſſionem, eo nobis minus ſuſpectam, quod eam ipſi nulla extorſit in *Anglia* Inquiſitorum crudelitas.

Priuſquam hinc pedem moveam, duo monitum *D. Burnetium* velim. Primum quidem, crediſiſſe, vel ipſo docente, veteres Philoſophos, a quibus ille novam ſuam Theologiam emendicat, mentem quandam rerum omnium creationi ac diſpoſitioni præfuiſſe; ne dicam

Lib. I. c. XI. p. 152.

Cap. XII. p. 170.

cam illos mirabilem mun fabricam λόγῳ δημιουργῷ καὶ τεχνικῷ adſcripſiſſe, duoque agnoviſſe principia, Θεὸν καὶ ὕλην, *Deum & materiam.* Quidni ergo, ſiquidem duces illos, quoad telluris formam, ſequi velit *Burnetius*, eos quoque, quoad ſummum illud rerum omnium principium, ſequitur? Et, ſi ab iis diſcedendum putat, ubi ad fidem noſtram proxime accedunt, cur, amabo, ad eos nos amandat, cum a recta in Deum pietate nos avocant? Nullane de re, quam de accumulanda eruditione cogitavit?

Cap. XIII. p. 178.

Quod ſecundo eruditiſſimo *Archæologo* dictum *libertate decembri* cupio, eo redit, quod multo minus Chriſtianum hominem decet, naturam Deam facere Cœlo-

que

que locare, quam idolorum mancipia, quibus non illuxerant Sacræ Literæ, nec plane conſtabat num Deus eſſet ipſa natura. *Vis illum Fatum vocare?* (inquit) *Seneca*, quo vix oculatior ullus in rebus Divinis fuit apud Ethnicos, *non errabis. Hic eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſa cauſarum. Vis illum Providentiam dicere? Recte dicis. Eſt enim cujus conſilio huic mundo providetur, ut inconcuſſus eat, & actus ſuos explicet. Vis illum naturam vocare? Non peccabis. Eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu vivimus. Vis illum vocare Mundum? non falleris, ipſe enim eſt totum quod vides, totus ſuis partibus inditus, & ſe ſuſtinens vi ſua.* Ex nimio illo adverſus naturam affectu factum procul

Senec. Lib. II. quæst. natural.



dubio eſt, ut fidei arcana, quæ nos *Myſteria* nuncupamus, rationis captui judicioque ſubjecta voluerit, *Ne-Archæologo-Philoſophus*. Neque enim ſolum eo nituntur fundamento omnes Machinæ, quibus venerandam, & apud viros probos intemeratam *Moſis* hiſtoriam ſubruere conatur; ſed ad ſacram illam anchoram ſeſe recipit, quo a Divinarum Literarum fluctibus ac, ſi Deo placet, gurgite tutum ſeſe præſtet. En ipſius verba, quæ concoquere pauci ſtomachi valeant: *Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς hic accerſivit Moſes ad diſſipandas aquas; & recte quidem, cum ei apud populum res agenda eſſet. At ſi rationis & Philoſophiæ caſtra non deſeramus, qua vi aut arte excutiemus hanc aquarum molem? Nequeunt, nec Ariſtoteles,*

Lib. I. c. X. p. 140.

ſtoteles, *nec Epicurus*, *nec Græcorum quiſquam hunc nodum ſolvere*. Eliminanda ergo, & extra Eccleſiæ pomœria, tanquam profana, ejicienda quæcumque ex *Lycæi*, *Porticus*, aut *Academiæ* placitis ſolvi non poſſunt. Horret profecto animus, calamuſque refugit plura congerere *Burnetii* dicta, frontibus adverſis cum honore Literis Sacris Deique Spiritui debito pugnantia. Paucis dicam. Si Philoſophicorum dogmatum inſtauratorem illum audiamus, de pleriſque Chriſtianæ fidei arcanis, deque ipſis, ex quibus vim omnem ſuam fides ducit, Prophetarum Apoſtolorumque oraculis, plane conclamatum eſt.

CAPUT IV.

Superioribus adduntur quædam, quæ CL. Burnetio excidere, vel quæ systhemati suo, tanquam fundamentum, substravit.

SI me studium veritatis non cogeret ingratum laborem subire, lubens supersederem a coacervandis pluribus quibus totæ scatent *Archæologiæ Philosophicæ*, stupendis sane & in Ecclesia Christiana nullomodo ferendis, erroribus. Verum, cum ad impietatem vergere sæculum nostrum mihi jam a pluribus annis visum fuerit; metusque sit ne in summum discrimen Reli-

Religio tandem veniat, si incastigati istiusmodi libri relinquantur, nec muniantur adversus contagium illorum juvenum animi, age, evolvamus, quædam alia *Archæologi* principia. Nec nos tædeat confutare, quæ Doctorem Theologiæ non puduit docere.

Cæcus sit qui non videat non recte sentire scriptorem illum de rerum creatione. Apologiam sententiæ illius mitto, quam Epistola complexus est, postquam audiit varia quæ de ipso jactabantur hominum judicia. Examen Scripti suscepi, quod potest in omnium manus, intra & extra Angliam, devenire; non scriptoris, de cujus candore nemo, nisi quibus intus & in cute notus est, certam ferre sententiam

potest. Dico autem & serio affirmo, neminem esse, qui, lectis *Burnetii Archæologiis*, mecum non sentiat eum negare creatam ex nihilo mundi compagem; materiamque ex qua constat æternam affirmare.

Triplici autem, vel quadruplici via hoc præstat vir eruditus. I. Quidem generali illo principio, quo naturam rerum omnium effectricem, multis in locis, ut probatum antea fuit, supponit. Quod sane principium quantum afferat pietati detrimentum, dici vix potest. Si enim piaculum, secundum
Ose. II. 9. Divinas Literas, sit, *frumentum, vinum, & oleum* Deo accepta non referre; quanto
Jerem. V. 23. & 24. sese flagitio involvunt, qui rerum omnium productionis, conservationisque gloriam

riam Ipſi detrahunt? *Populo iſti fuit cor rebelle ac contumax*, inquit Jeremias, ſeu potius Deus ipſe apud Prophetam illum, *defecerunt & abierunt: & non dixerunt in corde ſuo, timebimus ſaltem Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis imbrem tempeſtivum & ſerotinum ſuo tempore, hebdomadas ſtatutorum meſſis cuſtodit nobis.* Dicemuſne fruſtra operam dediſſe credula Prophetarum ingenia ut Deus intereſſet, etſi dignus vindice nodus nullus adeſſet? Numquid eodem laborarunt cauſarum divinarum amore, quo *Viri Optimi*, *Socratis & Clementis ſimiles*? II. Errorem illum, quo ipſa Religionis fundamenta quatiuntur diruunturque, lectorum ſuorum animis inſtillat; cum priora *Geneſews* capita trans-

fert in Parabolam, ad Vulgi captum confictam. Res plana est; nec ullis indiget argumentis confirmari, vel etiam explicari. III. Cum terram creatam ex nihilo fuisse negat, absque ulla verborum ambage. Si enim ex antecedente materia educta fuit, de cujus creatione ex nulla nobis *S. Scripturæ* parte constare queat, quo fundamento poterimus Deum rerum omnium conditorem agnoscere ac profiteri? Fide? *per fidem quidem intelligimus perfecta fuisse sæcula verbo Dei.* Sed, cum Dei verbo nitatur fides, nostrum non est rem ullam amplecti, quam verbum illud sileat. Ubi autem creationem a *Mosaïca* diversam memorat Dei verbum, si nulla nisi telluris creatio verbo illo comprehendatur, ut satis perspicue

Lib. II. c. VIII. p. 303. 304.

Heb. XI. 3.

Lib. II. c. VIII. p. 313.

ſpicue tradit *Archæologus*, ex cujus Magiſtri diſciplina reliquarum orbis partium haurire creationem poterimus? Unum ergo ſupereſt, ut rationis aut Philoſophiæ lumine ad ſublimis illius Myſterii cognitionem nos perductos dicat *Burnetius*. At vero, præterquam quod illud agnoſcere nemo poteſt, quin fidem multum elevet, illique gravem injuriam inferat; hoc *D. Burnetio* minime omnium licet. Diſerte enim tradit inaceſſam Philoſophis, imo & veteri Judæorum Reipublicæ, fuiſſe illam e nihilo eductionem. *Notandum eſt* (inquit) *credidiſſe antiquos* ex nihilo nihil fieri: *& quidquid eſt ſubſtantiæ, aliquomodo ſemper extitiſſe, ſemperque extiturum. Doctrinam enim de eductione rerum ex nihilo, & reductione*

in nihilum, Philosophis ignotam, primum invexisse videtur Theologia Christiana: ut apud Stoïcos, Platonicos, aliosque videre licet. Neque in alia sunt sententia, ut mihi videtur, Cabalistæ: quandoquidem rerum ortum per emanationes *a prima causa explicant.* Et, ne quis forte sublimius de veteribus illis Sapientiæ Magistris, eximiis, inquam, *Noachi* discipulis, præcipuisque Historiæ *Mosaïca* interpretibus sentiat; duabus interjectis paginis, nullum eorum ordinem ab omnimoda nostræ illius ἀφιλοσόφȣ creationis ignoratione excludit. Neque vero hic subsistit. Tanquam inglorium esset ab excelsis illis mentibus nimium discedere, parum abest quin docto illarum Choro ambiat sese immisce-

Ibid. p. 65.

miſcere. Nolim mihi quiſquam, ſed ipſiſſimis illius verbis credat. *In ea* (inquit) *fuiſſe ſententia*| *mihi videntur Ionici, Pythagorici, Platonici, Stoïci, cæterique omnes qui non deterius aliquid, & a ratione magis alienum ſtatuebant, ut Epicuræi & Peripatetici; nam materiam e nihilo productam, tum primum extitiſſe, cum tellus condita fuit: aliquot nempe retro millenniis, videtur eſſe dogma gentibus & Philoſophis prorſus ignotum.* Quid ultra? *& inopinabile.* *Lib. I. cap. XII. p. 173.*

Modeſtius multo digniuſque pietate Chriſtiana de cæca illa Philoſophia judicium tulerat, celeberrimus ille Epicurææ diſciplinæ inſtaurator, *Petrus Gaſſendus. Duo hæc* (inquit) *vulgo copulantur.*

De

De nihilo nihil, in nihilum, nîl posse reverti.

Nam & Cicero, erit aliquid (inquit) *quod ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat? Quis hoc Physicus dixit unquam? &c. Cæterum cum istud effatum*, ex nihilo nihil, in nihilum nihil *admitti valeat in Epicuro Philosophisque cæteris, quatenus intra naturæ vires & quasi metas consistitur, intolerabile tamen est, quatenus ab illis extenditur etiam ad Divinam vim, juxta illud videlicet,*

Animadvers. in Lib. X. Diogen. Laert. Tom. I. de Physiol. c. 1.

Nullam rem ex nihilo gigni divinitus unquam.

Videlicet naturæ auctor viribus naturæ non adstringitur, ac infinita pollet vi, qua infinitam illam quasi distantiam supe-

ſuperet, quæ interjacet inter aliquid & nihil.

Præter tres, quas memoravimus, hiſtoriam creationis impugnandi vias, non una alia fidem illius convellit *Archæologus*. Dubia enim reddit omnia Scripturæ loca in quibus terræ Cœlorumque productionis gloria in Deum tota refunditur. Illa etiam pietati noſtræ ſtudet præripere, in quibus Deus noſter ſupra fictitia Gentium Numina eo nomine evehitur, quod Cœlos condiderit. Imo vero laudes quæ inde ducuntur omnes in ſchemata poetica, aulicaſque blanditias convertit. Diræ quibus Dii, quorum opus non ſunt Cœlum ac terra, devoventur, in fumum etiam eadem opera abeunt. Ipſa Religionis fundamenta principiis illis *Archæolo-*

Pſ. XCVI. 4. 5.

S. Muïſ. in Pſ. CXIX. v. 89.

chæologicis præterea convelluntur. *Hæc* enim *res, quod Cœlum & terra Dei verbo sint creata, & nunc perstent, pars est Legis.* Dum creationis ordo, tempusque quod illi Deus impendit in allegorias aut parabolas transferuntur, nonne suspecta efficitur quoque ipsius creationis historia? Quo enim certo indicio rescire poterimus, figuram qua rei modus circumstantiæque comprehenduntur, ad rem quoq; ipsam non pertinere? frustra ergo rerum ex nihilo creationem sese credere profitetur *CL. Burnetius.* Donec illa omnia cum professione sua conciliarit, cuilibet licebit de illius fide non omnino recte sentire.

Lib. II. c. VIII. p. 308. § 10.

Inficiari certe non potest quin una cum *Socini* asseclis, hominibus ad Christianam fidem

Hebr. XI. 3.

dem proculcandam natis, studuerit præripiendo nobis *Novi Testamenti* loco, omnium maxime idoneo, ad firmandam nostram de rerum creatione sententiam. Quod si nonnullis aliis addideris, dubitare tibi non erit integrum, quin ad favendum pestiferis Hæreticis *Burnetiana* multum propendeat Philosophia.

Lib. II. c. I. p. 203. & c. IX. p. 215.

Unde enim, quæso, nisi ex illorum penu, superciliosam illam Theologiam mutuatus est, quæ vim rationis exæquat cœlestium oraculorum auctoritati? Sed, quid illi parcimus qui servorum Dei illustrissimo *Mosi*, cæterisque Prophetis, tam parum pepercit? Si rationi fidem non subjiceret, numquid in præcipuas sacræ Historiæ partes, nec vero sine sarcasmis, censoriam virgam intenderet; ubi

ubi vel tantillum, rationis ipſius captum ſuperare, vel præjudiciis adverſari reperiuntur? Qua fronte aſſerere auſus
Lib. II. c. IV. pp. 229. & 230. fuiſſet, non alio modo evenire diluvium potuiſſe, quam quem ipſe commentus eſt? Vix audet Stylus nefandam deſignare audaciam, ad quam ſuperba illum principia propellunt. Deum immortalem! quis talia ſibi ab homine metuat, qui, non ſolum Chriſti diſcipulus haberi cupit, quod demiſſum per ſe obſequium poſtulat; ſed & Chriſti Miniſtris accenſeri, quod vetat, vel latum unguem, ab illius mandatis recedere?

Quid ſui fuiſſet officii beatos Angelos commonefacit,
Lib. II. c. VII. p. 290. ſiquidem fabularum numero eximenda eſſent quæ de prima omnium fæmina a ſerpente expugnata referuntur. Sed,

quidni

quidni præcepta famulis tradere audeat, qui summo eorum, omniumque rerum Domino Leges figere nîl reformidat, ad quarum obrussam Sapientissimus Opifex dirigere opera sua debuisset? Sane ubi timoris pudorisque lineas transiliit humana audacia, excussis quasi frænis quaquaversum vagatur, nullisque sese limitibus patitur coerceri. Tertio hoc exemplo non abs re fuerit edocere. Nemini non notum est, quam sacra habeantur apud Criticorum gentem Græcorum Latinorumque Auctorum exemplaria. *Procul a nobis absit tantus furor*, (inquit non minimus procerum gentis illius, cujus temeritatem tam multi exagitant,) *ut imitemur quod, malo exemplo, alii quidam fecerunt: quibus*

Cap. VIII. p. 308.

M. Anton. Muret in Catull. p. 134. m.

bus Religio non fuit, ubi quid deerat, hasce sacrosanctas venerandæ antiquitatis reliquias, admistis ineptiis suis, intolerabili audacia contaminare. Non ea se Religione erga *Mosem* adstrictum voluit *Burnetius*, qua cæteros homines duci debere erga *Aristophanem*, *Lucianum*, *Petronium*, aliosque id genus Auctores, *Muretus* existimavit. Cum enim septem primi *Geneseως*, capitis versus conciliare cum principiis suis non posset, veritus non fuit dicere satius futurum fuisse, si illos omnino præteriisset ὁ νομοθέτης. Profecto, si plures istiusmodi *Zoili* exirent ex Ecclesiis nostris, non esset amplius cur Romanæ facinorosam exprobrarent Expurgatorum suorum audaciam. Quanquam enim illi intolerandam

Lib. II. c. VIII. p. 310.

randam ſibi ſumpſerint in omne ſcriptorum genus auctoritatem, a Sacris tamen ita cenſendis ſacrilegas manus abſtinuerunt. Etſi non diffiteor quin peſſime de illis ſint meriti, cum propoſitiones plurimas ex illorum ſcriptis ad verbum ductas, novo exemplo, atque auſu plane nefario, damnarunt.

Quandoquidem vero ſuum illud τόλμημα, aliaque non pauca, de quibus ſeſe dabit in ſequentibus diſſerendi occaſio, eo fundamento ſuffulcit *D. Burnetius*, quod quadrare cum Philoſophia non poſſint in quæ tam præfracte animadvertit, age ex ipſius *Burnetii* armamentario duas treſve machinas extrahamus, quibus non diruatur ſolum, ſed & in pulverem convertatur illud fundamentum.

Pri-

Lib. I. c. VII. p. 67. *Primus* (inquit) *ad veritatem gradus, Præcavere errores: ad quos evitandos, in sapientiæ studio legis vim semper habeat, nulli auctoritati, præter Divinæ: nulli rationi, præter claræ & distinctæ, fidem penitus adhibendam esse.* Mirum sane quod summum veritatis fastigium, per prærupta aliisque pene omnibus inaccessa, grassando, non attigerit *Ne-Archæologus*; quippe qui viam qua possit ad illud perveniri, tam bene calluerit. *Divinam auctoritatem rationi*, quantumvis *claræ ac distinctæ*, anteponit, solamque haberi vult, ne excepta quidem Philosophica, fidei nostræ normam. Nihil verius, nihil melius, nihil pietati Christianæ magis consentaneum; si saltem de Divina *Mosis* auctoritate litem nobis nullam

lam moveat *D. Burnetius.* Sed quid illum interpellamus? ſic pergit avidæ nimis ambitioſæque hominum curioſitati cancellos ponere. *Sæpe autem ex ipſa aviditate augendæ ſcientiæ, in errores dilabimur; vel ob præcipitem animi aſſenſum, ante examen peractum: vel earum rerum cognitioni inhiando, in quibus nullum examen locum habere poteſt. Nempe quæ viribus noſtris attingi nequeunt neque ullo lumine, vel a natura nobis dato, vel cælitus admiſſo.* Quis tam ſolido, tamque utili documento calculum ſuum lubens non adjiciat? At vero etiam quis inficias eat, opera Divinæ omnipotentiæ, eorumque modum atque ordinem aciem fugere perſpicaciſſimi cujuſque ingenii.

Tertium polliciti ſumus

gla-

gladium exhibere, quo ſeſe *CL. Burnetius* jugulat. En, præſto eſt, actractatu facilis. *Uti Divina Sapientia, ita humana ſtultitia eſt imperſcrutabilis. Neque ideo negandæ ſunt res certæ & conſtanti fide traditæ, quod rationi non conſentiant, aut aliæ aliis opponantur.* Sua quoque ne habeat adyta, ſuaque ἀπόῤῥητα, humana ἀβλεψία ſerio metuo. Quid enim certius unquam *Moſaïca* Hiſtoria fuit, quid firmius, quid magis extra omnem erroris aut dubitationis aleam poſitum, quid denique fide magis conſtanti traditum? cur ergo, ſi fas ſibi eſſe putet *D. Burnetius* ſuis ſtare principiis, profanis eam theorematum Philoſophicorum fidiculis torquere, audacia inaudita, aggreſſus eſt? Cur, amabo, inviolabili atque inconcuſſæ

Lib. I. c. VIII. p. 99.

concussæ *Mosis* auctoritati meras opposuit, incertas, dubias ac longe petitas conjecturas? *Quod factum est* (inquit) (nimirum in *Pythagoræ* διδασκαλείῳ) *in tradenda mundi forma, in ejusdem origine itidem fieri potuit, duplicemque ea de re constitui hypothesin, Philosophicam & vulgarem.* Alii excidere viro docto, ut & quamplurimis aliis ingenio ac eruditione præstantibus viris Grammatices neglectus, quibus sua funditus periret diplomatis Pontificiis auctoritas: sed gravius multo adversus fidei dogmata, quam contra Grammaticæ leges, peccatur. Quare omnia id genus ἁμαρτήματα, missa faciamus. Quam parum virum gravem decebat, qualem esse Theologum oportet, in Judæorum mendicabulis, &

Lib. II. c. ult. p. 331.

in putidis Ethnicarum fabularum retrimentis exanguia quædam emendicare argumenta, si argumenta liceat appellare, quibus historiæ fidem convelleret, quæ, præter eximium, quod ex Auctoris sui nomine arcessit, pondus, ex Prophetarum Apostolorumque omnium, illorumque Ducis ac Magistri *Jesu Christi* Domini, sive testimonio, seu assensu, auctoritatem acquirit, cavillis omnibus altercationibusque longe superiorem! Quis temperet a cachinnis, ubi in ratiunculas oculos conjicit, quibus rem omnium firmissimam quatere tentat *Archæologus*? *Quem* (inquit) *nempe Thaletem* Philosophum, *cum primus Eclipses prædixerit, constat novisse & Lunæ vias, & utriusque flexus & anfractus. Quod si easdem vias*

Lib. II. cap. ult.

Lib. II. cap. VI. p. 262.

vias tenuissent hæc sydera a Mundo condito, haud latuissent, opinor, incognitæ usque ad Thaletis ætatem. Macte, ejusdem ratiocinationis beneficio asseramus, vel adhuc latere *Jovis satellites & ansas Saturni*, quidquid garriant recentiores Philosophi, vel veteres non latuisse, a quibus tam multa de syderum natura, numero, cursu, effectis accidentibusque accepimus. Ex eo etiam quisque inferat nullum in rebus Ecclesiasticis errorem admisisse *Baronium*, nullum in Theologicis *Aquinatem* aut *Lombardum*; quippe qui tam multa in illis, tamque præclara deprehenderint. Ex illo etiam principio liquidò sequitur; cum primum exortæ sunt artes, cum adhuc ἐν σπαργάνοις καὶ γάλαξι vagiunt, summum statim

 perfe-

perfectionis apicem attingere. At, *videte quidquid domi est cachinnorum*, numque elevandæ Ecclesiæ fidei idoneus sit *Archæologus*, ex hac ratiocinatione judicate : *Est* Ibid. *enim artis & ingenii opus, rationes umbrarum in obliquo telluris situ, ad normam revocare : in recto, levioris res negotii : ubi omnes, ut mihi videtur, essent ascii.* Scire vultis quid per homines ascios intelligant Philosophorum filii? Qui scilicet umbra carent. Quis non periculosæ plenum opus aleæ putasset umbrarum inire rationes, ubi nullæ sunt umbræ; si mysterium illud nobis non pandisset *Archæologi* acumen?

Sannas prætereo, atque Sarcasmos, quibus Mosem, ipsumque adeo, qui rideri non potest, Deum, impetit.

Non

Non pauca alia, quæ ad blaſphemiam accedere mihi videntur, ſilentio involvo, ne illis ſtomachum moveam, qui quo par eſt affectu res ſacras, quæque ad illas pertinent, amplectuntur. Quam parum fidei mereatur *Burnetiana* hypotheſis nemo, puto, jam non animadvertit, patetque, niſi plurimum fallor, omnibus, non poſſe quemquam Religionem adoriri, quin a recta ratione ſtatim deſciſcat. Hoc unum addam ſuperioribus, antequam cauſæ arcem invadam, de jure Dei in creaturas multum detèrere, qui creationis gloria Divinam defraudare omnipotentiam aggrediuntur. Judices volo ſedeant ipſi Socinianorum Magiſtri: *Altera*, (inquiunt) *cauſa eſt cur id credendum ſit de Deo, quod Cœlum & terram*

ram creavit: quod nisi certo id nobis persuasum esset, nullam causam haberemus credendi, talem esse de rebus omnibus, ac imprimis de singulis hominibus, Dei Providentiam, qualem ante diximus: atque ea ratione animum ad ei obediendum non induceremus. Tertia est, quod ex creatione pateat, Dei jus in nos: unde necessitas ei parendi nobis incumbit.

Catech. Racov. Sect. III. cap. II.

CAPUT V.

Num tutum sit ex veterum Philosophorum, aut aliorum Ethnicorum, Sententia Scripturæ Sacræ sensum definire; & undenam Philosophi suam hauserint sapientiam.

DUobus omnino libris constat *Archæologiæ Philoso-*

loſophicæ, quorum prior duas mihi partes comprehendere videtur. Prima varias veterum Philoſophorum ſententias de rerum origine reſpicit. Secunda inveſtigat ex quo fonte doctrinam illam ſuam eos hauſiſſe ſit veriſimile. In hac non poſſum non laudare auctoris ingenium. In illa non poſſum non admirari exquiſitam illius, multigenamque eruditionem, diligentiam maximam, ſolertiamque, ſeu ἀγχίνοιαν, quæ *D. Burnetium* a vulgo eruditorum longe ſegregat. Sed, quod eo magis doleo, quod penes me non ſit ſimulare mentem meam, in utraque viri maximi judicium requiro, rectamque rerum ad ſalutem pertinentium apprehenſionem.

Per omnes Philoſophorum

sectas certo pede deambulat. Nulli magis notam diceres domum suam. Quod in memoriam mihi revocat litem *Origeni* olim intentatam, quod illorum hominum disciplinæ studiosius incumberet. Sed hac ipsa in re immane quantum distat *Burnetius* ab *Origene*, cui tamen in aliis quibusdam non valde absimilem jure merito dixeris! Quo enim fine tractanda Christianis sunt Philosophorum dogmata, ad ea suum animum admovit *Adamantius*; cujus ipse rei testis est locupletissimus: nempe ut iis fidem Christianam adornaret, illustraretque; quemadmodum ex Ægyptiorum Spoliis Judæi vasa Sacra olim confecerant. Verum diversam omnino viam init *Archæologus*. Sacra enim vasa, dura nimis

Euseb. Histor. Eccles. Lib. VI. cap. 19.

Origen. Philocal. c. XIII.

ac rigida manu confringit, ut nova nobis ad Philosophicorum dogmatum normam reficta exhibeat.

Neque vero eodem promiscue affectu dignatur omnes illos Scripturæ Sacræ adscititios Interpretes. Quo delectum illum habuisse agnoscas; qui terram fuisse olim *oviformem* somniarunt, illos cæteris longe anteponit, illos in corde gerit, illos habet genuinos *Noachi* discipulos, rectæque adeo Philosophiæ Magistros. *Thebanos* Sacerdotes nobis eo nomine commendat, suumque *Orphea* miris laudibus ea etiam de causa effert. Parum abesse dixeris quin illius gratia doleat, quod penes se non sit mortuos in lucem revocare. *Hunc* (inquit) *si ab umbris revocare liceret, ut ille olim suam* *Euri-*

Lib. I. c. VIII. p. 77.

Lib. I. c. IX. p. 119.

Euridicem, *ad probandam doctrinam nostram circa rerum origines*, *unus valeret multos testes*. Quid si illi suus *Orpheus* eadem lege, qua *Orpheo* sua *Euridice*, concederetur? Metuo certe ut momentaneam sibi evanidamque voluptatem conciliaret. Quanto enim affectu in illius amplexus statim rueret! Scire vis causam? orbem jam completum, intus & extra ovo assimilavit. O rarum inventum! o arcanum, *Orphica Lyra* multo suavius & vel ferocissimo pectori demulcendo magis idoneum! At, Dii te perduint, Deæque omnes, improbe *Vossi*, cum infausta, cruentaque illa eruditione tua, qua ejectum e rerum natura voluisti eximium Poetam ac Philosophum insignem, quem ex in-

Ibid. ψ. & p. 131.

ferorum

ferorum carcere magno redemptum *D. Burnetius* velit! Vos autem nimium ſuperbi, iratiſque novem ſororibus nati Aſiæ populi, piis *Orphei* manibus, pro illata ipſis ab Atavis veſtris injuria lectiſſimis hoſtiis parentate. Barbaris ſcilicet rerum originis imperitiores, non erubuerunt illi dicere μηδὲ τὸν Ὀρφέα σοφὸν γεγονέναι Θρᾷκα ὄντα, ἀλλ' ἄλλως τοὺς μύθους αὐτοῦ καταψεύσασθαι: *ne Orpheum quidem ſapientem fuiſſe, cum eſſet ex Thracia oriundus, ſed ejus carmina mendaciis eſſe referta.* O gentem novo diluvio ſepeliendam!

Ælian. var. hiſt. L. VIII. cap. 6.

Verumenimvero, rem ſatis ridiculam agamus ſerio. Tria mihi eſſe videntur, propter quæ non inferenda ſunt in Theologiam Chriſtianam veterum Philoſophorum com-

menta. Primo quidem errores turpiſſimi, quos circa res Divinas errarunt, foverunt, docuerunt; quique adeo in cauſa fuerunt ut illos fidei plane exitioſos putarent veteres Chriſtiani. Si res eſſet dubia, illam argumentis comprobandam ſuſciperem, Teſtimoniorumque agmine non exiguo. Verum de probanda re omnium certiſſima laborare, quid eſt, niſi oleum & operam perdere? *Pleriſque hoc Philoſophis accidit* (inquit Lactantius) *ut putarent omnino non eſſe, quidquid oculis non apparet, cum mentis acies multo clarior debet eſſe quam corporis, ad ea perſpicienda, quorum vis, ac ratio ſentitur potius quam videtur.* Videant Chriſtiani, quam ſublimem expectare Religionem ab iis poſſint qui adſtri-

Divin. inſtitut. lib. VII. c. 13.

adſtrictam, circumſcriptamque ſenſibus animam gerunt. Ego certe capere non poſſum quo pacto oculis addicta ſcientia ſtare queat cum obedientia Divinæ revelationi debita. Non enim id ſolum credere noſtrum eſt quod ſenſuum miniſterio ad animam defertur; ſed quidquid nos docere Divina dignata eſt Miſericordia. Alioqui ſuæ quiſque arbiter fidei, vel etiam auctor erit; nec ex Dei voluntate aut beneplacito, ſed ex oculorum acie omnis erit Religio ſtatuenda, dirigendaque. Quocirca obiter obſervare liceat, non alia de cauſa occultam veteribus Philoſophis fuiſſe rerum ex nihilo eductionem, quam quod oculorum conſuetudini nimium addicti de Dei operibus nihil ſublimius quam de noſtris aſſequi valerent.

rent. Hoc perſpicue oſtendit eximium illud Anglicæ gentis atque Eccleſiæ decus, *Ed. Stillingfleet*, cujus nomen præſtat infulis, cujuſque *Origines Sacras* qui attente perlegerit, nihil omnino ſibi a *Burnetii* machinamentis unquam metuat. Tam craſſam autem abjectamque methodum ſecuti cum fuerint Philoſophi, mirum non eſt eos ad Majeſtatem Divinam mentem ſuam non erexiſſe, tamque multa indigna recto de Deo conceptu commentos fuiſſe. *Statui* (inquit idem ille Chriſtianæ fidei defenſor) cujus modo teſtimonium adduximus, *quam multa potero literis tradere, quæ ad vitæ beatæ ſtatum ſpectent, & quidem contra Philoſophos; quoniam ſunt ad perturbandam veritatem pernicioſi & graves.* Atque

De opific. Dei cap. 20.

haud

haud multo poſt: *Quos partim noſtris armis, partim vero ex ipſorum concertatione ſumptis revincemus; ut appareat, eos induxiſſe potius errorem, quam ſuſtuliſſe.* Cordati nunc viri judicent quam parum qui talia de Philoſophis ſentiebant de fide Chriſtiana ex illorum arbitrio vel explicanda cogitarent, vel etiam, prout illud *D. Burnetius* attentat, emendanda.

Quod ſecundo me deterret a Religione Philoſophorum judicio ſubjicienda, pugna eſt quæ inter varias illorum Sectas, jam ab initio perpetuo graſſatur. Ut enim *Senecæ*, ſi bene memini, mentem ſequar, non melius inter illos, quam inter horologia, convenit. Cum autem nullus eorum quidquam ratione ſuperius agnoſcat, quæ ſine

In Apocoloc. Claud.

ſine ductu ſupernæ lucis non poteſt a recto tramite non deficere, non habeo, vel ipſis judicibus, cur cuiquam illorum fidem meam committam. De paucis non loquor quæ fidei noſtræ conſona in quorundam, præſertim Platonicorum, ſcriptis reperiuntur. Præterquam enim quod illorum judicium declinat *Archaeologus*, circa hoc non verſatur quæſtio, utrum in illorum ſcriptis nonnullæ occurrant veritatis ſtricturæ, in ea ab ipſo veritatis fonte effuſæ; ſed utrum arcana quædam tradiderint aliunde quam a Sacris Literis deſumpta, ex quibus Sacrarum Literarum eruenda ſit interpretatio.

Præter inextincta diſſidia, quibus vexatur perturbaturque Philoſophia, ſi attendamus

mus illius originem, nullam esse causam videbimus cur ad eam confugiamus, ad evolvendos sensus absconditos, qui latere sub Sacrarum Literarum cortice existimantur. Cum enim adinventionem illius variæ sibi gentes adscriptam voluerint, quarum unaquæque suos venditat sapientes, difficile omnino est definire, cui deferenda palma sit. Si nos autem prorsus lateat unde & quando exordium sumpserit Philosophia; *Ægyptiis*, *Chaldæis*, *Indis*, *Judæis*, *Græcis*, aliisque populis eam sibi seorsim vindicantibus, ecquam nancisci originis illius certitudinem in mediis illis tenebris poterimus? Si tanti sit meam de re dubia sententiam promere, studii atque experientiæ fœtum habendam esse Philosophiam existimo,

quam-

quamque adeo gentes omnes, exceptis omnino barbaris, atque incultis, pro vario literarum amore, captuque, ſicut & cæteras diſciplinas arteſque, coluerint. Quod equidem ut credam, duæ me potiſſimum rationes adducunt. Prima eſt, quod nemo Philoſophorum communem agnoverit ſcientiæ Philoſophicæ parentem, ad cujus ſententiam ſua exigere principia teneretur. Imo vero, pro ſuo quiſque ſtudio & attenta rerum contemplatione, proprium cudit diſciplinæ ſuæ ſyſthema, nulla habita Magiſtri, nulla majorum, nulla denique gentis ſuæ ratione. Nolim quidem ire inficias, quin ex communi quadam a Judæorum parentibus profecta traditione nonnihil lucis acceperint Priſci Philoſophi.

Sed,

Sed, præterquam quod illud non omnino de omnibus conſtat, traditionem illam non agnoverunt Philoſophi diſciplinæ ſuæ Magiſtram neque diſcipulis unquam ſuis eam commendarunt. Secundam opinionis meæ rationem ex eo duco, quod nonniſi tractu temporis illuſtratæ, exornatæ, ad eamque formam adductæ fuerint diſciplinæ, quæ ad perfectionem proxime accedere videatur. De hoc neminem puto fore qui velit contendere; ſi modo Philoſophiæ, omniumque adeo ſcientiarum progreſſus varios, vel attendat, vel tantiſper calleat.

Utramque illam rationem ſuffragio ſuo, vel invitus firmat *CL. Burnetius*, Quamvis enim commentum ſuum

a priſcis Philoſophis arceſſat, fateri tamen cogitur non omnia illis fuiſſe perſpecta, quæ ſibi tandem ad ſyſthematis ſui complementum illuxere. *Ita* (inquit) *ſenſit, ita Philoſophatus eſt, Sanctus* Auguſtinus. *Neque tamen exiſtimo, vel ipſi, vel aliis Veterum innotuiſſe modum interitus aut mutationis antiqui mundi in diluvio: nec forſan qualis fuit cœli & terræ facies antediluviana, quam deletam eſſe ait in illa clade. Neque enim ex contemplatione naturæ, aut ratiocinatione præeunte in hanc ſententiam deſcendiſſe videtur* Auguſtinus, *ſed auctoritas & lumen Sacri Scriptoris hanc ei extorſere concluſionem, nonnihil adjuvante forſan, obſcura aliqua de rebus diluvianis vel antediluvianis traditione.* Si tam multa fugerint veterum

Lib. II. c. III. p. 226.

Philo-

Philoſophorum aciem, imo vero in denſis demerſa ignorantiæ tenebris tamdiu jacuerint, quomodo ab inſtauratore generis humani *Noacho* fuerint ad poſteros tranſmiſſa, ipſe conjectando aſſequatur *Archæologus*. Et, ſi ipſi tandem, poſt elapſam ita longam ſæculorum ſeriem, innotuerint quæ nullus antea hominum, quantovis ſtudii ac meditationis æſtu, deprehendere valuerat, vel cæcus videat, ad imponendum diſciplinis colophonem plurimum conferre tempus atque experientiam.

Quandoquidem vero in eo verſamur, non abs re fuerit oſtendere quam ſibi parum conſtet, quantumque in coacervandis inveſtigandiſque ſententiæ ſuæ argumentis vacillet Eruditiſſimus *Burnetius*.

netius. Testimonii Philosophorum cui fere unice innititur, vires omnes ipsemet infringit. *In excutiendis*, (inquit) *veterum dogmatis & antiquitate rimanda, sive Ecclesiastica, sive prophana, semper animo insideat illud Apostoli*, omnia explorate, quod bonum fuerit retinete; *nisi enim sensum attuleris veterum scriptis, nihil magni inde referes: adeo sunt exesa, mutilata, corrupta, aut interpolata omnia.* Proh! omnium hominum fidem! Quid sibi vult iste homo, aut quid quærit? *Mosem*, Prophetas, Apostolos, Ipsum denique *Christum* ad rectam adducere Scripturæ Sacræ cognitionem conatur illorum hominum placitis, de quibus ægre constare queat quid senserint: *adeo sunt exesa, mutilata, corrupta,*

Lib. II. cap. V. c. 256.

aut

aut interpolata omnia quæ nobis superſunt illorum ſcripta! Itane ſemper compacta erit *Burnetiana* Theologia , ut ſui quaſi immemor ſibique inimica ſeſe ipſa confodiat , ac propria ſponte in fruſta tota diſſiliat? Dici vix poteſt quanta animi, ſi fas ſit dicere, levitate erga *Platonem* ſeſe geſſerit novus duplicis terræ conſarcinator. Vis ſcire quanta fide dignus ſit priſcus ille Philoſophorum princeps , quem tot encomiis veteres recentioreſque exornarunt? Hoc faxo te doceat ipſe *Burnetius. Diximus* , (inquit) *Platonicos & Pythagoricos parum feliciter exercuiſſe Phyſiologiam , quaſi alio ſydere nati eſſent, ad contemplandum rerum rationes a materia abſtractas magis idonei , quam res ipſas corporales, earumque proprieta-*

Lib. I. c. XIII. p. 176. *prietates Physicas: Hujus rei exemplum manifestum habemus in Timæo Platonis de ortu mundi, ubi singulis elementis figuras Geometricas affingit, & componit locatque Geometrice.*
Quoad telluris quietem, ab illo toto cœlo dissentit. Poetarum præterea figmentis quod suam contaminarit Philosophiam ipsi exprobrat.

Lib. II. cap. V. p. 256.

Quid, amabo, rectum, quid Christiana Religione dignum in perscrutanda rerum origine possis ab istiusmodi homine extundere? Hoc præstat scilicet nulli exæquanda *D. Burnetii* industria. Quasi enim *Alcibiadis*, ut loquuntur, *Silenus* esset Divinus *Plato*, illum postmodum nulla opera convertit in præcipuum caussæ suæ præsidium, ac Decus. Ita olim *Timotheo* Philosophus ille apparuit σεμνὸς μὲν ἰδεῖν

Ælian. var. hist. lib. II. c. X.

ἰδεῖν τὸ πλάτος, ἵλεως ᾗ τῷ προσώπῳ. Postquam enim ludicram exhibuit terræ imaginem, quam olim *Plato* delineavit, quamque non solum *Jovi*, pristinæ suæ formæ præ cæteris Planetis tenaci, sed & ipsis Prophetarum ac præsertim *Joannis* Apostoli, de Cœlo conceptibus maxime congruam reperit, hoc illum encomio exornat, seque ipse confutat. *Id restat unice ut moneam, Platonem in Politico præteritam naturæ faciem, in Saturni regno descripsisse: in Phædone autem, futuram potius, in mundo renovato. Cum vero idem fere sit utrobique naturæ vultus, secundum Theoriam nostram: in primigeniis cœlis & terris, futuris: ad utrumlibet accommodari possunt ea Phænomena, de quibus in hoc vel altero Dialogo*

philosophatur Plato. *Ea nempe, quæ ad formam vel situm telluris spectant. Alia sunt apud alios auctores, bene multa de hoc eodem argumento: sed dignus est, qui solus in scenam prodeat* Plato, *totamque sibi occupet. Mosis* scilicet Prophetarumque omnium, *Christi Domini* cunctorumque Apostolorum atque Ecclesiæ Doctorum vices apud *Burnetium* gerit *Plato*. I nunc, & nega ex quolibet ligno fieri Mercurium, quantumvis periti artificis manu tornetur, vel imperitissimus quisque rerum naturalium indagator *Archæologi* Syllogistica, in magnum Physiologum, ictu oculi, evadit; si modo quidpiam somniasse deprehendatur, quo possit *telluris oviformitas* quasi resarciri. Heu! quam bene *Burnetio* juvenibusque

busque nostris, quos cæca ducit illius existimatio, fuisset; si memor *Scaligeri* de *Platone* judicii, promovendæ pietati tempus illud impendisset, quod in tractando illo Philosopho misere contrivit. *Respiciat ipse sese quot ineptias, quot spurcas fabellas inserat: quas græcanicum scelus olentes sententias identidem inculcet. Certe Symposium & Phædrum, atque alia monstra operæ pretium fuerit nunquam legisse.*

Cum ita dubia, cum tam multis conspersa fabulis, mendaciisque conspurcata sit vetus Philosophia, par erat illius dedecus nobili prosapia expungere. Quare illam *D. Burnetius* deducit a *Noacho*, secundo omnium gentium parente. Quis in orbe princeps stemmata possit tam an- *Jul. Cæs. Scalig. Poet. Lib. I. cap. I.*

tiqua oſtentare? Quis auſit cum Philoſophis de nobilitate contendere, præſertim cum illis qui docuere tellurem fuiſſe olim *intus & extra oviformem*? Neque vero tam anguſtis comprimenda limitibus eſt *oviformici ſyſthematis* origo, ſi mentem *Archæologi* rite capimus, ſoſpitator potius inſtauratorque Philoſophicæ nobilitatis, quam auctor illius fuit *Noachus*. Quid enim ille in novum orbem attulit, niſi quod in priſtino viderat acceperatque? Cum autem totos ſexcentos annos antediluvianorum hominum uſus eſſet conſuetudine, nonne plures vidit atque audivit, quibus frequens fuerat cum ipſis *Adami* liberis conſortium? Noli ergo dubitare, quin nova de duplici tellure doctrina eundem

habeat parentem cum toto genere humano.

Quandoquidem tamen rei inauditæ ſemper aliquid ſubeſt obſcuritatis, a *D. Burnetio* veniam nos impetrare æquum eſt, quibuſdam illum quæſtionibus obtundendi, quæ inhibent aliquantiſper animi noſtri aſſenſum. Primo, quo poterimus indicio dignoſcere ſuam illam de duplici tellure opinionem a *Noacho* fuiſſe ad *Orpheum* & perpaucos alios propagatam; cum illi alia tam multa docuerint, quæ nos ratio vetat ad *Noachum* referre? Deinde, hoc me non parum cruciat, quod ſacram *oviformitatis* genealogiam ſilentio damnarint, quorum maxime intererat illam, non ſolum notam; ſed & omnibus conſpicuam efficere: ſi in illorum notitiam venerat,

 cur

cur eam auctoritate tam venerabili, tamque ad persuadendum comparata, spoliabant? si vero eos lateret a quorum manibus eam *Archæologus* accepit, ex quibus tandem scriniis illam ultimis hisce temporibus ipse expiscatus est? Audiamus illum, eoque audito, de causa integra quisque sententiam ferat. *Multum* (inquit) *exaruisse sequioribus sæculis utramque doctrinam, & succrescentibus zizaniis tantum non suffocatam esse libens agnosco. Hæc facile redintegrari non possunt ex antiquis monumentis: sed potius ex ipsis naturæ, liquidæque rationis principiis renovanda sunt omnia, & per theorias rite constitutas, emendanda pariter & stabilienda ut ingruente rerum fine veritas rediviva, in futuræ renovationis prælu-*

Lib. I. c. XIV. p. 197.

prœludium, *clarius elucescat*. Spem illam egregiam mitto ad quam adsurgit *Archæologus*. Hoc unum volo, vix ulli unquam persuasum iri ex naturæ contemplatione deduci posse *Noachicam* de telluris *oviformitate* traditionem, sed quo illum rapit, quidve illi extorquet nimium causæ suæ studium? *Quidquid* (inquit) *sapuerunt longævi Patriarchæ, id Noacho innotuisse maximam partem probabile est*. Imo vero plusquam probabile. Sed in eo non vertitur cardo controversiæ. Alienis oculis non indigebat *Noachus* ad dignoscendam utriusque telluris formam: nemo tamen unquam fando audivit, neque vero ex ulla colligi potest Sacræ Scripturæ parte, rem quæ in oculos incurrebat eum posterorum memo-

Ibid.

riæ commendasse. Quæ illis tradidisse fertur præcepta nemini prope non nota explorataque sunt. Sed unde fit ut tradita ab illo Philosophia ita delituerit; ut nequidem ipsi *Abrahamo* compertam fuisse quisquam audeat affirmare? Audite, si lubet, quibus argumentorum machinis illos impugnet *D. Burnetius*, qui volunt celebrem illum Patriarcham Ægyptiacæ sapientiæ Magistrum fuisse. *Quo quæso* (inquit) *prætextu? quibus ducti argumentis hoc asserunt? Hoccine in Historia Sacra traditum est? Hoccine in exotica legimus?* In neutra puto; sed ex qua illarum accepimus institutos a *Noacho* ipsius posteros de oviformi telluris forma? *Hoccine in Historia Sacra traditum est? Hoccine in exotica legimus?*

Lib. I. c. XIV. p. 195.

Pergit,

Pergit, paucis interjectis, *Burnetius. Quamobrem propriam gentem non prius instruxit & edocuit has artes* Abrahamus: *filium suum & Nepotes?* Quare itidem *Noachus Semo*, præ duobus reliquis filiis, non commendavit, Ecclesiæ porro transmittendas, ad Exitum usque sæculorum, illas *Archæologi* delicias, telluris, inquam, *oviformitatem*, ad eruendam diluvii causam ita, si Deo placet, necessariam? Res erat obvia nec ullis Physices Arcanis accensenda. Nullum ingenii acumen, memoriæ firmitatem nullam postulabat. Itane ergo hebetes erant unius Dei cultores, ut illis tuto committi non posset res vel tenuissimi cujusvis intellectus captui accommodata; cum mera esset, eaque brevissima,

 narra-

narratio? Decetne *D. Burnetium* nobis viros sanctos exhibere, tanquam de disciplinis, quas Theologi exteras vocant, nullomodo sollicitos; & eas tamen omnes ex *Noachi*, ut ita dicam, sinu, educere? Facilius certe dissolvitur illius systhema, quam ovum aviculæ digitis conteratur.

CAPUT VI.

Quam cavte inducendæ sint in Sacras Literas allegoriæ, quamque immerito in allegoricum sensum Geneseωs *priora capita torqueantur.*

SI vigeret in Anglia vetus *Locrensium* consuetudo, næ! plus sibi quam Religioni mali consciviſſet *D. Burnetius*, proque

proque Perilli invento metuendum foret ne ſolum inventum *Burnetii* Britanni in poſterum jactarent. Quid enim bonæ frugis poteſt ex vanis illius theorematis capi? Quæ vel ſtyli, vel ingenii exercendi gratia in aſini, in pediculi, in umbræ laudem Oratores diſſeruere oblectant, exacuuntque animum, abſque ullo virtutis, aut pietatis diſpendio. Sed, dum quam acerrimo poteſt ingenii machinamento receptam apud omnes fidem, fideique normam unicam diruere *CL. Burnetius* adnititur, plurimum ſibi negotii faceſſit: bonis autem omnibus dolorem maximum, certam reliquis perniciem creat. En quo redeunt eruditæ illius multipliceſque lucubrationes! Quis de eruditione non dicat quod di-

ctum olim a *Tullio* de eloquentia fuit? *Bonine, an mali plus attulerit hominibus & civitatibus* dubium est.

De invent. Rhet. Lib. I.

Causam suam non solum agit *Burnetius* tanquam gravem ac seriam; sed tanquam omnino necessariam, & sine qua suus Sacris Literis honos constare nullomodo queat. Quasi enim invitus cogeretur *Mosis* oracula in schemata, sensusque allegoricos detorquere, sensus quem *literalem* vocant, necessitatem iterum iterumque ingerit, sibique religionem esse ab eo discedere affirmat. *Neque* (inquit) *recedendum est a literali verborum sensu & significatione, nisi aliis Scripturæ locis repugnarit, aut id male patiatur materiæ subjectæ ratio. Hanc se sibi legem imposuisse*, alibi profitetur, *ut nunquam*

Lib. II. cap. II. p. 214.

quam recedat a ſenſu literali, ſine neceſſitate: nunquam (inquit) *niſi id penitus perſuaſerit aut coegerit rei natura*. Et, quaſi iſta non ſufficerent, grave quod ex ſyſthemate ſuo exoritur incommodum hac diluere reſponſione conatur: *Reſpondeo communem & notiſſimam legem eſſe interpretum*, nullibi recedendum a litera ſine neceſſitate. *Hoc duce tuti erimus: & ſi ullibi hanc legem violaverim, quæcunque ita dicta ſunt, indicta velim*. Quis triplici audita obteſtatione ſuſpicetur *Archæologum* levi de cauſa ſenſum deſeruiſſe, quem jam ab initio Judæi Chriſtianique hiſtoriæ creationis, unanimi conſenſu, tribuerant? vix puto plus ineſſe virus in toto illius, quantum eſt, volumine quam in cautela illa, ad perſua-

Lib. II. c. VIII. p. 279.

Lib. II. c. IX. p. 322.

persuadendum lectoribus unice conficta, periculosum esse vel absurdum quæ de mundi creatione, de prima hominis tentatione, deque universali diluvio traduntur pro veris habere, ac, prout verba sonant, transactis historiis.

Age ergo, videamus num ex suis præjudiciis magis, quam ex rei veritate de Scriptura Sacra judicarit *D. Burnetius*; numque eum potius causa sua, quam ulla necessitas ad vim *Mosaïcæ* narrationi inferendam compulerit. Ut vero ne nimis exangue instituamus illius figmenti examen, ostendamus primo nonnullis exemplis quam male cesserit plurimis in rebus planis μετεωρολογίζειν, & rimari mysteria ubi nulla sunt. Expendamus deinde, quam lu-

brica

brica res ſit ac plena aleæ, quæ nude ſimpliciterque nobis traduntur in allegorias transferre. Illiſque jactis fundamentis, *Archæologum* in abſurda quædam tandem conjiciamus, quæ ex ipſius hypotheſi ſuapte ſponte, ac nulla adjuvante allegoria, oriuntur.

Ferre nunquam potui nimium acutos, ſive auctores ſeu interpretes, qui in exſculpendis extundendiſque rebus, de quibus ne per ſomnium quidem unquam cogitaverant quibus illas adſcribunt, miras ſibi cruces figunt; quique ſeſe palmarium facinus præſtitiſſe autumant, ſi conjecturam aliquam ab auctoris quem tractant mente quam maxime alienam, modo novitatis lepore conditam & aliquo micantem acumine, adinve-

invenerint. Mirum tamen quam multi illo ingenii morbo, intra & extra Ecclesiam jam a longo tempore laboraverint. Memorant eruditi *Heraclidæ Pontici* allegorias. *Servius* ille, vel, ne nobis litem moveant grammaticorum filii, *Pseudoservius*, qui Poetarum principem enarravit, ille, inquam, qui refutandas esse in carmine Bucolico allegorias docet in vanam illam ambitiosamque commentandi rationem sese abripi non semel in ipsa Bucolicorum illustratione passus est. In allegorias quoque *Virgilii Eclogas Lud. Vives* μετεσχημάτισε.

Jos. Scalig. Epist. Lib. III. Epist. 284. In tert. Eclog. Virgil.

Nota & quæ in eundem Poetam *Planciades Fulgentius* stylo aspero, sed ingenio plus satis acuto, luxuriante quadam conjecturarum ubertate, divi-

divinavit. Fuere & posterioribus sæculis viri ingenio atque eruditione insignes, qui ejusdem pruritus titillatione ducti, quasi indignum fuisset, eximio Poeta mortem aviculæ luxisse, passerem *Catulli* μυστικώτερόν τι designasse voluerunt. Fuit & hac nostra ætate, ne quid forte cessisse anterioribus videretur, fuit inquam *Loyolita* quidam qui apertis *Homerici carminis Mysteriis*, *ex ejus visceribus*, *ut ex Apennino fluminum*, *doctrinarum facta divortia* ostendit, *ut alia bona & mala videantur Peripateticis*, *alia Stoïcis*, *alia Epicuræis*; *tum in Helena*, *in Trojanis*, *& Græcis*, *pro ea acriter depugnantibus*, *in Ajace*, *Ulysse*, *Hectore*, *Achille*, *aliisque propugnatoribus veræ beatitudinis vim*, *& quemadmodum ea*,

Politianus & Turnebus.

Oddo de Comitibus.

Jan. Nic. Erythr. Epist. ad divers. lib. VII. Epist. XIV.

ea, ratione atque prudentia, pulsis voluptatum illecebris, comparetur, designari probavit. Deinde in Apollonii Argonautica opum honeste parandarum rationes tradi, non minus docte, quam eleganter patefecit; postremo ex Homero Virgilioque, inter se collatis, vitæ in actione & contemplatione positæ, utilitates demonstrari, si credendum *Erythræo, palam fecit.*

Quin plurima laude dignum sit omnium illorum hominum ingenium absit, ut inficias eam. Sed horas illos suas male collocasse nemo non ingenuus illarum rerum æstimator confitebitur. Potius enim tenebras induxere in veteres auctores, quam vel minimam lucis scintillam illis attulere. Dumque suum frustra torquebant, aliorum depravan-

pravando ingenio improbe operam navarunt. Sed utinam in solos Ethnicos Scriptores eam sibi licentiam indulsissent eruditi! Quamvis humaniores literas conturbare, & illis quacunque ratione officere Piaculum sit, cum tamen Religionis parum intersit, quem *Virgilio*, aut *Homero* sensum adfingas, illorum nos ipsi veniam comprecaremur, si in literas etiam ex ipso Dei omnipotentis ore profectas audax ac molesta illorum curiositas grassata non fuisset. At vero, quot quantisque allegoriarum tenebris illas plurimi obducere, ausu temerario ac nefando, sategerint, dici vix potest.

In illa otiosorum hominum arte suum olim ingenium *Esseni* exercuere, suamque illa solitudinem monachi, infausta

infausta *Essenorum* propago, jam pridem exhilarant. Monachos sequuti sunt *Weigelii*, *Stifelii*, *Behmii*, aliique fanatici, gens omnino inficeta ac malis avibus nata; quippe quæ, una cum bonis literis, sensum communem extinguere velle, inerti ac stolida conjuratione, videatur. Judæorum Doctores hic prætereo, qui stupendum in modum in hoc genere luxuriarunt; *Gnosticos* sileo, Hæreticorum pessimos, qui impietatem suam istiusmodi integumentis cooperiebant. *Origenem* mitto, quem etiam in illam allegoriarum fæcem nimium forte Philosophiæ studium, haud secus ac *D. Burnetium*, teste universa Christi Ecclesia detrusit. Nihil hic de *Maximo* loquor *S. Dionysii* scholiasta, quem suis viri

ψ. *Menasseh Ben Israel de Rabbinor. ac Thalmud. allegoriis.*

viri docti virtutibus exornarunt; nihil de *Hugone de sancto Victore*, cujus *de allegoriis Veteris ac Novi Testamenti* libros, vel omnium maxime patienti excutiant ineptiæ quibus referti sunt.

Ne adjunctos sibi istiusmodi socios solo excepto *Origene*, *D. Burnetius* iniquo forte animo ferat; quippe quorum intempestivam subtilitatem cordati omnes, unanimi suffragio, damnarint: lubens ab illo quæram, num coactis veterum, etiam sanctissimorum, Scripturæ Sacræ interpretationibus suum ipse velit calculum adjicere? si probandum cum *Cypriano* susciperet nullum esse Hæreticorum baptismum, placeretne ad hæc Veteris Testamenti loca confugere: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ,* *Cypria. Epist. Lib. I. Ep. 12.*

gratis,

gratis, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare: ab aqua aliena abstinete, & a fonte aquæ alienæ ne biberis? Si illi impugnandi essent qui in administranda Eucharistia aqua pro vino utebantur, putaretne cum beato illo martyre, *Noachi* ebrietatem validum sibi adversus illos argumentum suffecturam? consultumne existimaret, ad adstruendum adversus *Anabaptistas*, *Socinianosque* infantium baptismum, *Helisæi* prophetæ exemplum illis objicere, qui *super infantem viduæ filium qui mortuus jacebat, ita se Deum deprecans superstravit, ut capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisæi membra singulis parvi membris, & pedes pedibus jungerentur?* Suarum soliditatem

Lib. II. Epist. 3.

Lib. III. Epist. 8.

tatem necessitatemque allegoriarum venditet, quantum libuerit, *D. Burnetius*. Nil de suarum robore dubitabat *Cyprianus*: non enim usus illis fuisset, nisi omnino idoneas ad comprimendam adversariorum pervicaciam existimasset. Probat ergo *Cypriani* exemplum; quod multo potiori jure quam *Plutonis* instar plurimorum esse potest, non bene credi allegoricis conjecturis; & posse viros eximios, dum illis plus satis indulgent, imbelles adhibere rationes; inque absurda maxima incautos incidere. Eo autem magis suis diffidere *D. Burnetium*, quam *Cyprianum* suis decet, quod, vel totam Ecclesiam, vel bonam Ecclesiæ partem sibi assentientem haberet *Cyprianus*: cum adversus omnes insurgat

Archæo-

Archæologus, quibus divina Providentia sacrarum credidit custodiam literarum.

A multis aliis exemplis mihi tempero, quibus luce clarius demonstrari queat, periculosum esse allegorias in Scripturas invehere, præter illas nimirum quas acti a Dei spiritu homines ab iis eduxere; nec ullum esse errorem, in cujus patrocinium sacrorum hominum effata detorqueri non possint, si cuilibet liceat Philosophicis cavillis sensum literalem eludere. Sed, missis illis omnibus cuique satis obviis, ne tutam quidem fore ipsam Historiam Evangelicam contendo, si allegoricis conjecturis Dei testimonium impugnandi venia hominibus concedatur. Tam enim multa in *Christi* Domini nativitate, adolescen-

tia,

ctia, institutione, vita, morte cum Philosophiæ principiis pugnantia Athei, quam in *Mosis* narratione *D. Burnetius* deprehendent. Iisque cum aliquo apparatu congestis, & quibusdam jocosis dicteriis excultis, audacter colligent hallucinatos jam inde a primordiis Ecclesiæ fuisse omnes Christianos, qui veram esse historiam arbitrati sunt, quæ mera allegoria est.

Verum enim vero, quid omnes dico Christianos? *Videmus homines quosdam sine spiritu spirituales, ne literæ scilicet occidenti nimis addicti videantur, affirmantes totam historiam vitæ Jesu Christi, passionis, crucifixionis, sepulturæ, resurrectionis, ascensionis, & glorificationis, non vere & juxta historiæ literam a Jesu Christo visibiliter in*

Abrah. Heidan. de orig. error. Lib. II. c. IV. p. 10[illegible].

in carne repræſentatam; ſed tantum illa adumbrari quid quotidie in membris Chriſti exhibeatur & peragatur. Nempe regigni & renaſci nos debere ex aqua & ſpiritu; atque ita verbum in nobis carnem fieri, crucifigendum veterem hominem, & deſideriis ejus moriendum, illaque ſepelienda, ut facti nova creatura reſurgamus in novitate vitæ. &c.

Quo poterit argumento *D. Burnetius* illorum hominum figmentis occurrere, quod adverſus illum facile non retorqueant? Redemptionis noſtræ myſterium perſpicue narrat Evangelium? abſque ulla ambage, ſine ullis verborum involucris *creationis, tentationis, diluvii* hiſtoria in *Geneſi* recenſetur. Ideas ſuas Philoſophicas conciliare cum narratione *Moſaica*

ca non poteſt? Quam multa continet *Evangelium*, quæ perſpicaciſſimi cujuſque Philoſophi oculos perſtringant; quæque forſan in cauſa fuere ut non ſemel ſanxerit Apoſtolus ab eorum nobis argutiis cavendum? Tradendi myſteria ſua methodum ſequutus eſt *Moſes*, quam δημώδη appellabant? Quidni eam quoque hiſtoriæ Evangelicæ Scriptores ſectati ſint? Vel ergo *Moſaïcæ* auctoritati ſua ſubjiciat φιλοσοφήματα *Archæologus*; vel fanaticos ſinat male ſanis allegoriis totum *Chriſti* Domini *Evangelium* incruſtare. Per eum inſuper liceat omnem perire rei cujuſvis certitudinem, quæ rationem noſtram, vel aliquantiſper cruciet, vel quomodocunque ſuperet. Omnia denique valeant myſteria. Deſinat

Religio ullum in hominum mentes imperium exercere. De Sacris Literis unuſquiſque judicet, ut multi ſolent de nubibus, quæ, prout jocabatur olim *Ariſtophanes*,

Γίνονται πάνθ᾽ ὅτι ἂν βούλωνται.

Ille ego non ſum, ut adhærere quemquam vellem ſenſui literali, ſi quidpiam reapſe contineret indignum Dei, ſive potentia, ſeu ſapientia, ſeu etiam miſericordia, aut alia quacunque illius virtute. Cum talia multa traderet Ethnicorum Theologia, licet omnino Deum præ nobis ignorarent, illa tamen a ſe, ab illo amoliri, allegoriarum beneficio, conabantur. Sed, præterquam quod fidei noſtræ normam *D. Burnetii*, neque affectus, neque judicium

ſtatui-

ſtatuimus, veteres Chriſtiani iis illos armis tali præſidio depellebant, quorum vim non poteſt non perſentiſcere hypotheſis *Burnetiana*. *Primum* (inquit Arnobius) *illud a vobis, ſi modo commodare patientiam vultis, exquirimus primum, allegorico genere, vel ſcripta hæc eſſe, vel eodem modo intelligi oportere, unde eſt vobis cognitum, vel unde intimatum in conſilium Scriptores advocare? vos ſcilicet tum in eorum pectoribus latitabatis, cum pro aliis res alias inter veritate capta ſubdebant? Deinde ſi illi rationis alicujus & Religionis metu myſteria illa convolvere tenebroſa obſcuritate voluerunt, quantum vobis audaciæ eſt, ut quod illi noluerunt, vos velitis intelligere: vos ſcire & cunctorum ſubſternere notioni, quod illi* *Arnob. advers. Gent. Lib. V. & VI.*

frustra verbis minus verum significantibus occuluerunt?

Audi, *Archæologe*, ac paucis mecum alloquere conscientiam tuam. Si audaces habendi sint qui illum veteribus sensum adscribunt, cujus ipsi nullum præbuere indicium, te certe non decet nobis succensere, si quamdam tibi audaciæ labem inuramus, qui Propheticam oblitus sagacitatem, atque sapientiæ Apostolicæ eminentiam; qui ipsum Dei filium prætergressus; qui depressis infra Philosophicum tuum lumen quicunque a Mose ad nos vixere Sacerdotibus, Presbyteris, Episcopis, integro Sanctorum Martyrumque Choragio; qui, ne ipsis quidem, seu bonis seu malis, Angelis forte exceptis, tibi uni datum fuisse, si etiam datum, prædicas

laten-

latentem ſub *Moſis* velo theſaurum deprehendere.

Ne tam gravis accuſatio calumnia quibuſdam aut contumelia appareat, eam volo ipſiſſimis illius verbis probare, quem unice reſpicit. *Providentia* (inquit) *Divina quæ omnium ſæculorum & labentis mundi habenas moderatur, cognitionem rerum Divinarum & naturalium ita temperat, & latentem conſervat, ut non niſi ſuo tempore clare effulgeat veritas; ſimulque conſtet ubi effulſerit, eandem abſconditam latuiſſe, & variis modis velatam inter homines a primis mundi ſæculis.* Et alio in loco: *Exponendum proximo loco, quæ forma, quis ſitus, quod diſcrimen utriuſque telluris: ut illius diſcriminis veſtigia quæramus apud veteres: iiſque repertis ſententiæ noſtræ veritatem*

Lib. I. c. VII. p. 93. & 94.

Lib II. c. III. p. 220.

 tatem

tatem diu abſconditam, multo tempore exeſam, & tenebris obductam, quaſi nova luce detegamus. Atque iterum: *neque tamen exiſtimo, vel* Auguſtino, *vel aliis veterum innotuiſſe modum interitus aut mutationis antiqui mundi in diluvio: nec forſan qualis fuit cœli & terræ facies antediluviana, quam deletam eſſe ait in illa clade.* Unum tribus illis adjiciam, quod omnium vices implere poſſit. Audite, attendite, æquis animis ingenuam declarationem excipite. *Legeſlator Sapientiſſimus Philoſophis reliquit id negotii ut ubi maturuerit ingenium humanum, per ætatem, uſum & obſervationes, opera Dei alio ordine digererent perfectionibus Divinis atque rerum naturæ adaptato.* Felices quorum ætatem Deus aliquot adhuc annos

Ibid. p. 226.

Lib. II. c. VIII. p. 306.

nos protrahet ! Diffuſam enim, vel ſaltem exſurgentem videbunt quartam *œconomiam*, quæ luce nova nos atque *Antipodas* colluſtrabit, quamque *Burnetianam* amici, *oviformicam* malevoli nuncupabunt.

Vah ! Rerum omnium inconſtantiam atque incertitudinem ! vix blanda animum ſpes ſubiit, cum eam mihi pene præreptam ab illo video, a quo indita fuerat. Ecquis enim ego ſum, quem *D. Burnetii* vanæ expectationes tam facile demulceant ? Quomodo me illius allegoriis perſuaderi ſinam, qui quæ nude narrantur allegorice, quæ figurate proferuntur nude ſimpliciterque intelligit ? Quo enim hiſtoriam diluvii, cujus circumſtantias tam ingenue, tamque accurate *Moſes* perſe-

 quitur

quitur, Theoriæ ſuæ accommodet, nobiles quaſdam quæ apud Prophetas occurrunt Judiciorum Divinorum ὑποτυπώσεις corradit quas tralatitias eſſe aut hyperbolicas omnes Interpretes, uno ore, agnoſcunt. Decebat ſcilicet, qui rerum naturam, ipſumque adeo orbem totum invertit, eum phraſibus, dictionibuſque minime parcere! At vero, ecce aliam quam in ſe, ut loquuntur, cudit fabam. Curam ſcilicet habuit allegoricarum interpretationum fidem omnino elevare. *In hujuſmodi* (inquit) *allegoricis aut mythiſtoricis interpretandis maxima cura & cautio adhibenda eſt. Præter quam enim quod ſua natura luxurient, & ornatus cauſa aut propter τὸ πρέπον καὶ τὸ πιθανὸν, multa habeant quoad interiorem*

Lib. II. c. IV. p. 234. & 235.

Lib. I. c. VIII. p. 97. & 98.

rem ſenſum ſuperflua, toties mutantur & refinguntur, ut qualia fuerint in prima ſua origine non facile ſit dignoſcere, quæ ſapiens mihi monitum in mentem revocant eximii Pſalmorum interpretis: *Parum* (inquit) *fidei allegoricis interpretibus habendum eſt, qui ſæpe de induſtria multa contra literalem ſenſum comminiſcuntur, & meras fabulas narrant.* Sed ad *D. Burnetium* ut redeam, aut ſibi, aut *Moſi* tam parum cavit, ut, vel hypotheſi ſuæ, vel *Geneſi*, fidem omnem adimat, vel utrique. Eo enim nos ducunt hæc verba quæ ſtringit adverſus *Cabaliſtas*, ſiquidem ea rite intelligo. *Quæcunque intelligimus ipſi clare & diſtincte libenter aliis exponimus, modo intelligibili: ſed cum ſcientiam myſticam affectamus, fingimus*

Sim. Muiſ. in Pſ. LX. v. 2.

Lib. I. c. VII. p. 56. *mysteria ubi nulla sunt, vel sonoris & ambiguis verbis aliquid magni subesse: idque nos capere quidem, sed nolle tam sacra in vulgus spargere, credulis persuademus. Quamobrem qui latibula quærunt, & sibi metuunt ab aperta oratione, semper mihi suspecti sunt de ineptiis, vel imposturis.* Si documentum illud homine nasuto dignum ultra mentem auctoris forte protraham, negare, ni fallor, minime poterit quin æquiorem se *Proclo* Philosopho, quam *Mosi* exhibuerit. Loquens enim de allegoriis quibus abundat iste Philosophus *hæc* (inquit) *ut alia omnia Proclus, pro suo more in allegorias dissolvit. Quibus tamen apud cordatos interpretes, veritas historica non læditur.* Cur ergo *Burnetius* (vestram, Lectores, fidem

Lib. II. cap. VI. p. 275.

obte-

obteſtor) confictis allegoriis hiſtoriæ *Moſaicæ* veritatem convellere tanto niſu, tantoque ſtudio conatus eſt?

Priuſquam huic capiti finem imponam, non abs re fuerit, (opinor) *Arnobii* quædam, præter ea quæ haud ita pridem adduximus, *D. Burnetio* conſideranda objicere, ex quibus poſſit ipſe judicare utrum jure merito ſuas ſibi allegorias tantopere gratuletur. *Quod ſi pro his omnibus quod oporteat ſubjici rerum immutatione monſtratis, erit ut vobis aſſenſum ſuper tali aſſeveratione tribuamus: ſin autem ſingula in ſingulis neque poteſtis opponere, nec ad rerum vocare contextum: quid allegoriis obſcuratis honeſtis id, quod ſimpliciter ſcriptum eſt, & communem ad intelligentiam publicatum? niſi forte dice-*

Arnob. adverſ. Gent. Lib. VI.

dicetis, non toto in historiæ corpore allegorias has esse, cæterum partes alias esse communiter scriptas, alias vero dupliciter, & ambifaria obtentione velatas. Urbana est ista subtilitas & quibuslibet brutis patens. Nam quia cuncta quæ scripta sunt, inexpeditissimum vobis est traducere, invertere, derivare, eligitis quædam vestræ convenientia voluntati, & ex ipsis obtinere contenditis nothas atque adulteras lectiones interiori esse superpositas veritati. Quod tamen ut vobis ita sese habere (quemadmodum dicitis) annuamus, qui scitis, aut unde cognoscitis utra pars sit sententiis historiæ scripta simplicibus, utra vero sit dissonis atque alienis significationibus tecta? Potest enim fieri ut quod vos existimatis sic esse, aliter se habeat: aut quod aliter

ter creditis, conceptionibus aliis contrariisque prolatum sit. Ubi enim dicitur in unius materiæ corpore pars esse allegorice scripta, indubitabili altera sermone, rectoque: nec inest in re signum, quo differentia judicari ambiguorum possit simpliciterque dictorum, tam potest quod simplex est, ambiformiter dictum existimari, quam quod ambigue scriptum est, reclusis esse obtentionibus credi. Quod quidem quo genere aut fiat aut fieri posse credatur intelligere confitemur minime posse.

CAPUT VII.

Num Parabolis accenſeri debeat hiſtoria creationis mundi, tentationis primorum parentum, & univerſalis diluvii?

QUantum Theologos omnes, qui ipſum antecesſere, *D. Burnetius* ſuperat in eruendis, ſi Diis placet, naturæ ac fidei arcanis, tantum omnibus præſtat Philoſophis in ingenua illa ac viro forti digna audacia, qua illa promere nihil omnino reformidat. Meticuloſi enim Philoſophi, tanquam ignobilis vulgi abjecta mancipia, vel premebant quæ imperitis offendiculo eſſe poterant, quantavis veritatis illorum ac certi-

Lib. I. cap. X. p. 147.

certitudinis existimatione ducerentur; vel ea illis obtegebant involucris, quæ pervadere nulla poterat vulgarium oculorum acies. Sed infra se depresso timore illo doctissimus *Archæologus*, generosa quadam animi magnitudine tantum non intra pectus suum quæ vera sibi videntur cohibet, ut, velo quod alii doctrinæ suæ obtenderant, vel rescisso, vel detracto, eam omnibus conspiciendam præbeat.

Historiam scilicet creationis, aliasque nonnullas quibus nos omnes Christiani bona fide, una cum Judæis, credimus, parabolas esse vult, eodem fine confictas, quo nutricum cantilenas, quibus infantes in soporem sensim conjiciuntur. *Illud* (inquit) *argumentum de mundi origine, aut*

rerum

rerum creatione penitus omittere, non erat integrum Mosi, neque tutum. Habuerunt gentes circumvicinæ suas cosmogonias, suam historiam, aut Physiologiam, de mundi origine: in plerisque vitiosam, & veræ Religioni inimicam. Atque has similesve traditiones, aut Mythologias, secuti fuissent, nisi aliter edocti, Israelitæ. Si nuptum non dederis filiam, ipsa sibi maritum quæret, e famulis forsan, aut humili plebe: & nisi populo dederis suam fidem, dogmata, & opiniones ipsi sibi fingent quisque pro suo ingenio, pro suo affectu, aut pro suis vitiis. Ex eo quivis inferat, Israelitas regionum quas incolebant fabulas ad *Mosem* usque, cæco obsequio sectatos fuisse, κλυδωνιζομένους, ut utar verbis *Pauli* Apostoli, καὶ περιφερομένους παν-

Lib. II. c. IX. p. 321.

Ephes. IV. 14.

παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, nec habuiſſe in quo pedem figerent ; donec ingenioſus Legiſlator nova Mythologia captui illorum, licet non omnino præjudiciis, lepide adaptata anxiæ eorum inconſtantiæ certum tandem afferret remedium. Eamne vero fuiſſe putabimus primogenitorum noſtrorum (ita enim Judæi appellati fuere) vecordiam? In eamne devenerant traditionum πατροπαραδότων oblivionem? numquid talis eos invaſerat contemptus documentorum omnium, quæ ab illuſtri ſui generis ſtirpe acceperant *Abrahamo*, ut in quamcunque ſe fabulam, haud ſecus ac *nervis alienis mobile lignum*, duci paterentur? Rem ſane creditu difficilem, vixque apud maxime credulos fidem habituram! Tradi-

tio de primævæ telluris forma a *Noacho* ad *Orpheum* *Mose* posteriorem, per abditos nescio quos meatus pervaserat, quos longi *Alphei* fluvii invisibilesque ductus non exæquent: & ab illius posteris longis deflexit erroribus, quorum, ut ita dicam alveum sequi, absque ullis anfractibus, tam tuto tamque facile poterat! At vero cur ita exosi Ægyptiis erant *Abrahamidæ*, si Chamæleonte mutabiliores objectam quamvis opinionem statim imbiberent? Aut si tam incredibili erant animi levitate, quî factum fuit ut ab Ægyptiaca idololatria alieni supra ducentos annos permanserint? Licet ab illis omnibus ratio quam maxime abhorreat, aliud tamen ex *D. Burnetii* hypothesi incommodum enascitur, quæ illam non

non minus, mea quidem sententia, labefactat. Contumeliam intelligo maximam, qua *Mosis* integritatem, pietatem, prudentiam afficit. Illumne enim decebat ad eum sese obsequii gradum devolvere, ut fictas populo narraret fabulas, quibus ipsum a fabulis abduceret? Numquid vir Dei *cum primum animum ad scribendum appulit, id sibi negotî credidit solum dari, populo ut placerent quas fecisset fabulas.* Quis humilem illam ac servilem artem dignam putabit viro, qui ad Deum preces populi, ad populum Dei mandata deferebat, quemque adeo Deus tam frequenti, tamque familiari colloquio dignabatur? Quid de animi illa plus quam heroïca fortitudine factum erat, qua potentissimi Regis iras domuerat,

rat, populosque illius omnes atque exercitus formidine repleverat? Eruntne etiam in parabolarum censum referenda facta in Ægypto miracula? Quis unquam audivit veritatis omnium sanctissimæ fundamentum esse mendacium ἀτέχνως ἢ ἀθεωρήτως consutum? Quis ferat Ethnicis Mythologiis Verbi Divini initium accenseri, quo via nobis ad veritatem omnem aperitur? Nonne ejusdem cujus *Moses* spiritus ductu consilioque *Paulus* utebatur? Unde igitur factum ut tantum interfuerit inter utrumque discriminis, ut Christo *Paulus*, mendacio *Moses* Dei populum desponsaret? Abunde, ni fallor, fuerant ad Israelitarum omnium fidem *Mosi* conciliandam portenta inaudita, quæ illorum oculis subje-

Lib. II. c. VIII. p. 309.

2. Cor. *XI. 2.*

ſubjecerat. Quique duris ſeſe conditionibus gravi innumerorum pene rituum jugo ab illo Dei legato premi patiebantur, adeo certe duris non erant cervicibus, ut de illo pœnas ſumere voluiſſent, pro tradita ipſis quam a Deo accepiſſet rerum originis narratione. Ego ſane neminem eſſe arbitror tam impie, tamque ſtolide pertinacem, ut illi refragari audeat, quem certo norit Dei eſſe interpretem; licet adſurgere ad doctrinæ ſublimitatem non poſſit, quam ab illo accipit. At Deum immortalem! Quid illud eſt portenti! putido mendacio fidiſſimus Dei nuntius obvolvit quod ab ipſo haurit veritatis fonte, ad homines ab omni errore atque mendacio abducendos!

Sed, miſſis illis omnibus,

aliiſque

aliisque non paucis, ratiociniis, per quæ non licet illi *D. Burnetii* de ſanctiſſimo Legiſlatore fabulæ aſſenſum præbere, hypotheſin illius paulo preſſius expendamus, videamuſque num priores illæ *Moſis* hiſtoriæ parabolis merito accenſeantur. Rem ita non eſſe quædam præ cæteris faciunt ut credam. Primo quidem ipſa *Moſis* dignitas, quam figmentum *Archæologicum* ſuſque deque evertit. Cum enim illius *Coſmogonia* omnium quæ quidem exſtant, aut in hominum notitiam venere, ſit antiquiſſima, ſi meras contineat ad ignavam plebem irretiendam fabulas, perſpicuum eſt Mythologorum omnium patrem eſſe *Moſem*, qui ſoli *Chriſto* Domino ſecundus in veritate promulganda, ex univerſæ Eccle-

Lib. II. cap. VII. p. 285. & cap. VIII. p. 298.

Ecclesiæ judicio, fuit.

Hoc me ſecundo a *Burnetiana* hypotheſi, longe deterret, quod nullum cernere ſit illius veſtigium in integra ſacrorum voluminum compage, nec in ipſa, quam *oralem* vocant, Judæorum lege. Quis Synedrio, quis Sacerdotibus, quis Prophetis omnibus Prophetarumque filiis tam altum indixerat ſilentium, ut illud unquam ſolvere religioni ſemper duxerint? Quis Apoſtolos, Epiſcopos, Doctores, quis Conciliorum omnium Patres *Harpocrates* reddidit? Quæ omnium a *Moſe* fidelium linguam ita cohibuit *Angerona*, ut tot abſurda, quæ, ſecundum rigidam *Archæologi* criticen *Moſaica* comprehendit hiſtoria, nemo illorum ad hunc uſque diem, evolvere tentarit?

G Ter-

Tertium illis libet adjicere; quod scilicet in multis Scripturæ locis vera supponantur quæ a *Mose* in primis *Geneseως* capitibus traduntur. Nam ex creationis ordine *Paulus*
1. Tim. II. 12. & 13. argumentum ducit obsequii quod maritis præstare uxores debent. Quoad septiduum autem, quod ita absonum *D. Burnetio* videtur, nonne illud authentice Deus confirmat, cum eo quartum legis suæ mandatum e medio flammarum splendore suffulcit? Possem hic *Jubilea* Judæorum adducere, festaque illorum solemnia, septies aspersum tabernaculum versus ju-
Numer. XIX. 4. vencæ sanguinem, receptam apud illos consuetudinem *in*
H. Grot. in Ezechi. XXXIX. 9. *magnis multisve rebus exprimendis numerum heptados* adhibendi; hæc inquam, aliaque possem in causæ nostræ patro-

patrocinium advocare. Sed inutilem ſumere laborem vetat exhibitum a Deo in ſplendidiſſimo omnium apparatu hiſtoricæ *Geneſews* veritati teſtimonium. Quis enim audeat adverſus illud hiſcere, niſi qui, una cum *Geneſi*, velit Exodum totumque adeo *Moſis Pentateuchum* in parabolam convertere? Sed quorſum ab ipſa diſcedimus *Moſis* narratione? Non ſolum totus orationis illius contextus deprædicat eum res nude, prout illas a Deo hominibuſque acceperat, recenſere: ſed quod narrationi ſuæ ſubnectit quaſi corollarium illud extra dubitationis aleam ponit: *Iſta ſunt generationes cœlorum & terræ,* (Geneſ. II. 4. 5.) *quæ creata erant in die quo fecerat Dominus Deus terram & cœlos, & omne virgultum agri, antequam eſſet in terra, &*

 omnem

omnem herbam agri antequam germinaret.

A creationis historia progredior ad historiam tentationis, quæ serpentem nobis exhibet turpem ac funestam de primis parentibus victoriam reportantem. Si nullum in eam inducendum esse, sive parabolicum, seu allegoricum sensum probavero, a confutandis exiguis sannis cavillationibusque, quibus illam *D. Burnetius* impetit, supersedere sane potero, absque ullo causæ meæ detrimento. Nemo enim est, si modo ratione polleat, quem humanæ argutiæ dimoveant a fide ac reverentia Divinæ Auctoritati debita. Duplici autem via hoc facile potest expediri. Prima quidem est ipsius *Pauli* Apostoli declaratio, qui perspicue supponit revera peractam

ctam fuisse tentationem illam, cum metuere se dicit ne a recta in *Christum* fide Hæreticorum technis *Corinthii* abstrahantur, quemadmodum olim *Eva* fuit serpentis astutia in peccatum inducta. Serpentem ibi vides, serpentis πανȣργίαν, ac denique mulierem illius fallacia seductam. Hæc scilicet summa est *Mosaicæ* narrationis.

2. Cor. XI. 3. ✝. & 1. Tim. II. 14.

Universalis pene hominum traditio secundum mihi subministrat veritatis illius argumentum. Neque enim soli Judæi, qui Diabolum נחש הקדמני antiquum serpentem appellitarunt, pristinæ tentationis historiam conservarunt, propagaveruntque. Ipsi etiam Gentiles qui divinis honoribus vile horrendumque animal mactarunt, testimonia nobis suppeditant numero

✝. *Edm. Dickins Delph. Phœnicis c. II.*

mero multa, quibus *Mosaicæ* historiæ veritas valide adstruatur. Ne actum agere videar, neve nimia congerie molestiam Lectoribus creem, sat habebo quædam ex *Firmico Materno* adferre, quæ totam hancce causam nobis palam adjudicant.

Sermonem ille faciens de Solis, si bene memini, effigie, qualis a Persis adumbrabatur, *Mulierem* (inquit) *triformi vultu constituunt, monstrosis eam serpentibus alligantes. Quod ideo faciunt, ne ab auctore suo Diabolo aliqua ratione dissentiant: Sed ut Dea sua serpentibus polluta, maculosis Diaboli insignibus adornetur.* Gentilibus quoque exprobat quod angues in *Bacchanalibus adhiberent, alterum nigro amictu tetrum &c.* In ipsis etiam parentis Deorum sacris

Jul. Fir. Mater. de error. profanar. Relig.

locum

locum habuisse feram illam a *Materno* accipimus. *Sebazium* (inquit) *colentes Jovem, anguem cum initiantur per sinum ducunt. Adhuc primi erroris vitia grassantur, & quidquid hominem perdidit, colitur, & funesti anguis callida & malitiosa crudelitas adoratur.* Hisce demum verbis turpem ac nefandum miserorum illorum cultum evolvit, & in apricum protrahit: *Deus iste vester non biformis est, sed multiformis. In multas enim species veteratoris forma mutatur. Ipse est Basiliscus & Scorpio, qui fidelium securis vestigiis premitur ipse malitiosus anguis, cujus caput quærit decepta mortalitas: ipse tortuosus Draco, qui hamo ducitur, qui captivus includitur. Iste Deus vester Lernæi anguis crinibus adornatur, videns ut*

Cap. XI.

Cap. XXII.

percusso Domino, morientium anguium turba succedat. Si rite calculum ponamus, generalis consuetudo, Christianorumque de illa judicium validius præjudicium constituunt, quam unius & alterius Philosophi opinio de rebus, quas non poterant, nisi conjectando, assequi.

Si probare jam valeam in narranda historia diluvii, parabolica methodo usum non fuisse *Mosem*, nihil obstabit quominus in auras abeat vis omnis altercationum *Burnetianarum*. Illud autem ita perspicue constat ex ipsa narratione, ut mirum sit eo devenire audaciæ Christianum hominem potuisse, ut, novo in eam sensu inducto, quique nullo cum ea nexu cohæreat, illam prorsus corrumperet inverteretque. Neque enim

enim solum in genere refert *Moses* obrutam universali diluvio terram fuisse. Modum insuper designat stupendi eventus. Dies numerat, quibus aquas suas cœlum, terraque evomuere. Altitudinem indigitat ad quam adscendit nova abyssus, nec tempus silet quo terræ incubuere ferales aquæ, si alias illis omnibus circumstantias addideris, quæ dubitare non permittunt quin in animo habuerit ὁ νομοθέτης rem, qualis acciderat, candide atque ingenue Lectoribus repræsentare, in majorem te majoremque rapi senties cœpti *Burnetiani* admirationem. Si enim novum audiamus interpretem, una cum mundi machina tota dissolvenda erit *Mosis* historia. Non aquas ille in terram devehit; sed terram

in aquas, immani cum ſtrepitu, detrudit. Nec ſceleribus hominum, nec Dei vindictæ, ſed ſolis radiis, intumeſcentibus & quaſi iratis aquarum fluctibus, imparibus cum his tum illis obſiſtendi oleaginoſæ terræ columnis, *Divæ* denique *naturæ*, rem omnium maxime idoneam ad percellenda metu ſalutifero peccatorum pectora adſignat.

Lib. II. c. III. p. 223. Nec contentus cum aquis terram formoſiſſimam miſcere, cœlos ipſos prodigioſæ eluvioni immergit; ne quid forſan veritati deeſſet illius veteris Poetæ effati,

Omnia Pontus erant.

Quantumvis autem a Sacris Literis & a ratione aliena ſit opinio illa, ei tamen ita mordicus adhæret *D. Burnetius*, ut *hoc* ſe *novum opus non ſuſcepiſſe* dicat, *ac ſi neceſſarium*

Lib. II. cap. II. p. 211.

eſſet

esset *Theoriæ* suæ, *quæ suis viribus nititur.* At profecto omnes potius abyssi impetus *Burnetiana* tellus fregerit, quam illius *Theoria* vim quadruplicis responsionis, qua non concussa solum, sed minutatim conscissa & æterna confecta strage fuit. Nihil quidquam de ullius ex responsionibus illis pretio detritum velim. Sed quamvis auctorum eruditionem, ingenium, pietatemque plurimi faciam, non possum non omni animi affectu Episcopum præ cæteris efferre multo meliori sæculo dignum, qui primus omnium in temerariam *D. Burnetii* methodum animadvertit;

Quem si quis videat, vetus ut non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ.

Some animadvers. upon a book entituled the Theory of the earth by the Reverend father in God Herbert Lord-Bishop of Hereford 1685. 8vo.

Geologia: or, a discourse concerning the earth before the deluge by Erasmus Warren, Rector of Worlington in Suffolk 1690. 4o.

Robur intelligo corporeo multo præstantius, vim animi in medio ætatis frigore vividam ferventemque. Quam nitide loquitur! quam perspicue disserit! quam valida stringit argumenta! quam ingeniose omnem adversario fucum detrahit! quam lepide quæ parum sana ipsi videntur perstringit! quam acriter adversus illa invehitur, quæ, vel labem, vel noxam inferre Religioni existimat! quam fervide omnium stylum studiaque ad Dei causam tuendam provocat! Beate Senex, sive jam Deum oculis contemplaris, qui nullo senectutis vitio poterunt unquam obrigescere; sive adhuc in terris languida frueris unius luminis acie, ex quo

Three Physico-Theological discourses concerning I. the primitive Chaos and creation of the World. II. the general Deluge, its causes and effects. III. the dissolution of the World, and future conflagration 1693. 8vo. 2. edit. Considerations on a book, entituled the Theory of the earth by John Beaumont. Jun. 1693. 4°.

quo tantus in Ecclesiam prodiit splendor, gestit animus, causam quam nunc agit quasi oblitus; signa quædam hic effundere sui erga te amoris, quo inaudito in hac temporum fæce zeli specimine illum tibi totum devinxisti.

Cum autem tot accuratis eruditisque lucubrationibus abunde exhausta fuerint quæcunque in disceptationem circa diluvium cadunt, nobisque animo sedeat amplam materiam brevi dissertatione constringere, demonstrare sat habeo falso niti fundamento *D. Burnetium*, cum allegorias aut parabolas fingit in historia *Mosaica*. Hoc etiam sufficere mihi videtur ad diruendam quam tanta nobis industria elaboratam exhibet hypothesin. Si enim rem nude narravit *Moses*, prout eam

a Majoribus, vel a cœlesti potius influxu acceperat, non solum suspectas habere omnes illius argutias debemus; sed & bonorum omnium odio atque execratione dignas. Nam adversus auctoritatem Divinam cassa ratiunculæ nostræ jacula contorquere, res est, ne quid gravius dicam, prorsus temeraria pessimique exempli, & ex qua nulla non possint hæresewn portenta quotidie ortum sumere. In illud præterea incommodum vel optima ingenia dilabuntur, cum in illos sese laqueos conjiciunt, quod a se ipsa sæpe dissentiant, seque magis quam Dei spiritum impugnare plerumque reperiantur. Testem volo ipsum *Archæologum*, qui terram suam vi causarum naturalium confractam comminiscitur;

miſcitur; ſuorumque ſtatim principiorum immemor, fragmenta illa caſu collapſa in repagula convertit, quæ Deus mari oppoſuit; ne novo forte diluvio terra operiretur. *Lib. II. c. IV. p. 233.*

Age ergo, quo dubium omne procul amoveamus, experiamur, num, præter eas, quas jam adduximus, aliis quibuſdam rationibus evincere poſſimus, nullam latere in *Moſis* narratione parabolam. Hoc primum ex eo conſtat, quod nullam in toto utriuſque Teſtamenti volumine parabolam invenias, quæ, vel ad ſingularem quendam hominem, vel ſaltem ad hominum turbam adſtantem directa non fuerit: Moſes autem nullum in *Geneſi* peculiarem cœtum, nedum ullum hominem ſingularem, alloquitur. Haud

ſecus

ſecus ac cæteri omnes hiſtorici, narrationes ſuas privatim adornat ac literis mandat, quæ poſſint deinde in omnium manus notitiamque devenire, ac ſeris poſteris tranſmitti. Parabolas pene omnes videas, vel quodam quaſi ἐπιμυθίῳ claudi, vel dubia quædam aut quæſtiones movere apud illos qui eas audiunt. Neutrum illorum in hiſtoria ſacra deprehendere eſt. Quæ illis continentur credita ſemper ab omnibus fuere, quorum eorum cognitio fideſque intererat. Nec ullus unquam exſtitit rerum ſacrarum Miniſter, ſive in novo, ſeu in veteri fœdere, qui erroris illos aut ſtuporis hac in re unquam arguerit. Ex rebus tritis & obviis ducuntur parabolæ. Res ſublimes, oculiſque ſimul ac ratio-

rationi inaccessas tradit *Moses.* Quæ parabolis materiam præbent exiguo ante tempore plerumque supponuntur evenisse quam narrentur. Historia *Mosaïca* nihil antiquius, ipsa enim rerum primordia complectitur. A rebus humanis petitas videas omnes parabolas; quoniam ad hominum institutionem unice pertinent. Nihil tale in *Mosaïca* historia occurrit. Cum res sint parabolæ ex arbitrio confictæ, nullæ Deo partes in illis nisi forte obiter, idque perraro tribuuntur. Sed apud *Mosem*, in diluvii potissimum & rerum creationis historia, utramque Deus paginam facit. Insertas videmus Libris Sacris parabolas plurimas: Sed inauditum est librum a parabola exordiri quemquam, nisi quem totum ve-

velit ex parabolis consutum & coagmentatum. Paucis absolvam. Si parabolis adnumeranda sint quæcunque supra captum, vel extra usum nostrum consuetudinemque posita sunt, non deerunt qui *Bilheami*, *Josuæ*, *Samsonis*, *Eliæ*, *Pauli*, aliorumque historias, nihilo minori jure, quam *D. Burnetius* duas tresve *Geneseως* narrationes in parabolas transferent. Egregie sapienterque circa mirabilem *Jonæ* historiam hariolatos fuisse Judæorum Magistros nobis erit existimandum. Quidquid demum mysterium sapit, exulare e Sacris Literis, atque adeo e Religione, pro arbitrio quisque nostro jubebimus.

Menass. Ben Isr. de resurrect. mort. Lib. I. c. 5.

CA-

CAPUT VIII.

Num in omnibus ad vulgi captam Sacri Scriptores sese demiserint, numque, si hoc eos quandoque præstitisse pro certo habendum sit, quidquam inde præsidii CL. Burnetii *causæ accedat.*

FLexibilem humani ingenii naturam quis non miretur? Genuinam Scripturæ Sacræ interpretationem totam a veteribus Philosophis *D. Burnetius* emendicat; expiscandamque esse affirmat. Ille tamen nobis suadere conatur ἀφιλόσοφον omnino esse *Mosis* historiam, totamque ad vulgi captum confictam. Durum quidem illud, ne parum sanum dicam, multis videatur; sed

sed ἀτοπώτερον quid novum peperit *Archæologi* systhema. Meras scilicet nænias populares cecinisse conjicit insignem Dei servum, quem Ipse Deus in administranda domo sua fidelem fuisse testatur εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων, quique *Ægyptiaca* disciplina, quam maximi semper ambiere Philosophi, totus fuerat imbutus: principia autem sua philosophica apud *Petrum* Apostolum, qui nulla Philosophiæ cognitione tinctus, nullo unquam illius amore, nullo fortassis gustu ductus fuerat, adeo valide adeoque perspicue posita deprehendit, ut suum ex illius testimonio faciat *Achillem*; quemadmodum olim ex celebri quodam *Pauli* loco fecisse *Brentium* & *Chemnitium* utrique *Bellarminus* exprobrat: *Nos* (inquit,

Heb. III. 5.

Lib. II. cap. II. p. 213. cap. III. p. 221.

Controvers. Tom. I. Lib. IV. cap. X. p. 184.

quit, assumens ipsa *Christi* verba) *Super hanc Petram Theoriam telluris potissimum ædificamus, quoad auctoritatem sacram, & immobile fundamentum hoc semper duximus.* Lib. II. c. III. p. 225.

Nobis non est animus illum Scripturæ locum, aliaque nonnulla vindicare, quæ in causæ suæ patrocinium torquet *D. Burnetius.* Præterquam enim quod illud ab iis abunde præstitum, qui tellurem illius quasi novo diluvio confractam deletamque e rerum natura ejecerunt; eam illis jure merito provinciam cedo, qui firma gaudent valetudine, qui otio abundant, quique ampla ac varia fruuntur librorum supellectili. Cum eorum nullum Deus mihi concesserit, nec tacere tamen Theologo liceat, ubi adductam ad summum discrimen

crimen Religionem viros probos lugere audit ac vociferari, satis nobis esse debet, si principia diruamus, quibus nititur *D. Burnetii* methodus.

Duo ille supponit, quæ, si non absolute negari, quibusdam coerceri limitibus debent. Primum quidem est impolitum, rude, semibarbarum Judæorum ingenium: utpote *quibus plusquam quadragintorum annorum servitus, non solum mores & disciplinam, sed tantum non ipsam humanitatem exuerat.* Locutionem hic mitto, calculumque; neutrum enim horum inpræsentiarum agitur. Licet fateri cogar, mirum omnino mihi esse tam parum accuratum sese præbere virum, quem multiscium esse cunctæ illius lucubrationes

Lib. II. cap. ult. pp. 332. 333. 334.

bationes

brationes clamant. Sed fortasse leves in orationem suam errores *D. Burnetius* data opera induxit, quo graviorum sensum in animis Lectorum molliret ac imminueret. Ut ut sit, alterum ex illo principium educit, *Mosem* nimirum stipitum illorum captui suam attemperasse historiam; adeo ut *populari methodo*, non secundum rei veritatem, quæcunque refert de luce, de aquis expanso superioribus, de Sole, Terra, Luna, de Paradiso, deque aliis non paucis, tradiderit.

Lib. II. c. VII. p. 284. c. VIII. pp. 306. 309. 310. 311. 312. 313. 314. c. IX. pp. 322. & 324.

Quoad turpem illam Judæorum ignorantiam, vereor ut illis satis æquum sese exhibuerit *Archæologus*. Ne quid enim hic dicam de servis qui sæpe hominibus liberis sapientia & eruditione præstitere; certum est populos omnes

eo

eo majori legum suarum amore ac reverentia teneri, quo in majori periculo versantur eas, vel amittendi, vel obliviscendi. Hoc nos hodierni docent Judæi (ne nosmetipsos aliosque memorem) qui nunquam magis addicti paternis traditionibus visi sunt, quam ex quo in universum orbem dispersi; cæterarum gentium fabula, ludibriumque evasere. Etsi enim quædam apud illos *Mosis* præcepta *Babylone* in neglectum ac desuetudinem tractu temporis abiissent; aliis ita caute adhærebant, ut quam illis cara essent nemo non intelligeret. *Nam intra Palestinam feriabantur die tantum uno in initio anni, primo scilicet die mensis Tisri: verum in Babylonia & reliquis regionibus exteris, feriabantur diebus primo &*

Nehem. VIII. 14. 15. IX. & Eze. IX.

70. Lighfoot in Act. Apost. cap. II. v. 1.

& secundo. Ratio erat, quia propter distantiam a Synedrio Hierosolymitano non adeo exacte certi esse potuerunt de die praecise stato a Synedrio; duos ergo dies celebrarunt, ut certe, vel in hoc, vel in illo non errarent die certo.

Verum, ut argumentis adversarium urgeam, conjecturis nostris haud paulo validioribus, liquet ex capite primo *Deuteronomii*, viros fuisse quamplurimos in illa, si Deo placet, ignavorum mancipiorum fæce, muneribus publicis obeundis, populoque indocili gubernando idoneos. Vix enim *Moses* Judæis significavit, pares non esse humeros suos gerendo negotiorum omnium illorum ponderi, cum plures illi istiusmodi ἀντιλήψεις exhibitæ fuere. Barbariem ita crassam, tam-

Deuter. I. 12. 13. 14. 15. & ss.

que degenerem ignaviam illud profecto non ſapit. Si vero *Grotium* audieris, nobilius multo de Judæorum ſapientia ſenties. Exiſtimavit enim vir eruditus, oſtenditque ex uno & altero Scripturæ loco, non defuiſſe Judæis viros ſapientes qui rebus ipſorum præeſſent, dum ſub jugo Ægyptiacæ ſervitutis ingemiſcerent. Si jam nobis hic liceret cum *Archæologo* Judæos ipſos in propria cauſa committere, ſua ictu oculi excideret *Archæologus*. Gentem enim ſuam tanti faciunt, ut illam in medio reliquarum Gentium, quaſi granum frumenti eſſe inter ſtipulas autument. Hæc enim verba, hanc ſententiam Deo tribuere nequaquam erubeſcunt. *Exploravi mundum & ecce periculoſus erat, propter ſtudia quæ in*

H. Grot. in Matth. V.21.

eo exorta sunt. Quod cum vi- IV. Ez. IX. 21. 22.
dissem, peperci ei sedulo, aci-
numque de botro servavi mihi,
plantamque de gente numero-
sa. Pereat ergo frustra nata
multitudo, serveturque acinus
& planta mea, quam multo
labore excolui. Neque vero
illis cancellis suam coercent
φιλαυτίαν *Abrahamidæ.* Deum
enim hisce alloqui non refor-
midant. *Hæc omnia dixi co-*
ram te, Domine, quia pro-
pter nos creasti sæculum, resi-
duas autem gentes ab Adam
natas dixisti nil esse, & quo-
niam salivæ assimilatæ sunt, &
quasi stillicidium de vase simi-
lasti abundantiam eorum. Et Cap. VI. 56. 57. & ss.
nunc, Domine, ecce istæ gen-
tes quæ in nihilo putatæ cœpe-
runt dominio gravare nos &
devorare: Nos autem populus
tuus, quem primogenitum &
unigenitum tui studiosum vo-

 casti,

casti, traditi sumus in manus eorum. Quis putet homines qui tam magnifice de se sentiant, tamque thrasonice loquantur, illatam sibi a *D. Burnetio* contumeliam patienti animo laturos? Sed, ne eos stare judices in propria causa permittamus, ipsi etiam Græci, quibus reliquæ gentes derisui erant, ac barbaræ habebantur, dedignati non sunt Judæorum sapientiam (si *Eusebio* credimus) eximiis laudibus efferre. Ab illis recensendis supersedeo, ut ratione tandem propellam injuriam *Genti electæ* illatam, cujus vim ne ipse quidem *Archæologus*, spero, effugiet. Si quidem fieri potuisset ut ex Judæorum animis quam a Patribus acceperant fides omnino, deleretur, cui fiat verisimile eos delapsos in omnimodam

De præparat. Evang. lib. IX. cap. III.

modam rerum naturalium ignorantiam fuiſſe in *Ægypto*, quæ Philoſophiæ optimarumque artium magiſtra ab omnibus exiſtimabatur; & ad quam doctiſſimi quique, tanquam ad locupletiſſimum ſcientiæ emporium, commeabant? In hoc inſuper graviſſime peccat *Burnetiana* methodus, quod libros *Moſis* iis tantum ſcriptos ſupponat, quos ſecum ex Ægypto eduxit. Quod falſum eſſe ex ipſa lege evincitur, eque perpetuo de illa Eccleſiæ Judaicæ judicio. Si autem eo fine lata promulgataque lex illa fuerit, ut quamdiu ſtaret Hebræorum Reſpublica, mores eorum cultumque dirigeret; congruebatne *Moſis* ſapientiæ captum inconditæ plebis unice reſpicere nulla habita ratione tot Sacerdotum, tot Sapien-

rum, tot Prophetarum Doctorumque, quos sequentibus sæculis latura erat illa Respublica. Numquid & stipitibus accensendi *David* & *Salomon*, qui nihil unquam de telluris *oviformitate*, ne per somnium quidemcogitarunt?

Cum ita facile corruat basis, cui novam suam machinam *D. Burnetius* imposuit, operam pene ludamus, si innixum illi ædificium diruere velle videamur. Ecquis enim, nullo monstrante, non videat, evicta principii falsitate, eductam ex eo consequentiam sponte evanescere? Age tamen, decedamus aliquantisper de jure nostro. Et quandoquidem in gratiam hebetiorum rudis plebeculæ ingeniorum, a mendaciis *Moses*, secundum *Archæologum*, non abstinuit, ut suorum menda-

Lib. II. c. IX. pp. 317. & ss.

mendaciorum labem, si forte sibi quædam elabi contingeret, tanti nominis elueret splendor: penitius causæ nostræ examen rudiorum ingenio captuique indulgeamus.

A *Fluddi* principiis tam longe distat animus, ut hancce *Holdeni* declarationem calculo meo comprobare religioni minime ducam: *Veritates Phylosophicæ nec probandæ, nec improbandæ sunt ex puris nudisque Sacræ Scripturæ verbis & sententiis. Quamvis enim nullam complectatur Scriptura falsitatem, attamen ipsius loquendi modus ut plurimum vulgaris est, atque ad communem hominum captum, potius quam ad loquelæ proprietatem, & sermonis rigorem adaptatus. Ita ut qui Grammatices, Poetices, Rhetorices, aut cætera-* *H.Hol-den.div. fid. analys. Lib. I.c.V. p. 81. & 82. m.*

istis diutius immoremur.

Quo mentem nostram candide aperiamus, prout Theologos omnes facere ratio, Religio, ac communis honestas jubent, fateri sat non habebimus solitos fuisse Prophetas, atque Apostolos humanarum scientiarum principia, regulasque negligere, sed & appositis exemplis quibusdam, hoc eos præstitisse comprobabimus. Exemplorum autem illorum duo sunt genera. Primum quidem est hominum, qui exteris disciplinis quantumvis imbuti, ab iis ita sedulo sibi in scriptis suis temperarunt, ut vix evanidas quasdam illarum stricturas possis in iis deprehendere. Tales fuere *Moses*, *Daniel*, *Paulus*, qui solius se Spiritus Sancti discipulos ita perspicue præstitere, ut omnem pene insti-

ψ. Christoph. Wittich. dissert. de mot. terr. I. c. 3. & 4.

ſtitutionis ſuæ memoriam excuſſiſſe videantur. Secundum exemplorum genus non homines, ſed ſcripta nobis ſubminiſtrant. Quatuor in iis occurrunt, quæ luce clarius docent, viros ſanctos ad ſolam populorum inſtitutionem ſalutemque labores omnes ſuos ſuaque ſtudia direxiſſe. I. Quidem proverbia non pauca e medio ducta. II. Innumeræ anomaliæ grammaticæ, quæ integro volumini poſſent materiam ſubminiſtrare. III. Dialectices contemptus. *Paulum* videmus ſecuturo ex propoſita ſibi objectione incommodo illam ſolvere, quod per leges artis illius non licere, vel ipſis tyronibus exploratum eſt. Cum ex eo quod ad cœlos *Chriſtus* aſcendiſſe dicitur Apoſtolus infert, illum prius debuiſſe

Rom. III. 6. Galat. II. 17. 18.

iis

εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς Ephes. IV. 9.
descendere, quis non exclamet illud non sequi? Nonne enim & *Enochus* & *Elias* ad Cœlos evecti sunt? Nonne eo bonorum animæ, nonne Angeli quotidie ascendunt; licet ad infimas terræ partes non devolvantur, neque vero unquam descenderint? Et quis non miretur *Petrum* posito adstructoq; antecedenti, deducendum ab eo consequens omittere? Indicare scilicet mentem suam sat habebant viri sancti legibus ferendis magis quam sequendis intenti, Logicesque minus quam fidei ac Theologiæ principiis addicti. Quod IV. solam eos Religionis veritatem præ oculis habuisse comprobat, neglectus est illius Philosophiæ partis, quam *Physicen* appellant. Tenebras illi

2. Pet. II. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Exod. XI. 7.

illi nobis exhibent quæ palpari possunt; quamvis juxta Physicorum placita, nihil sint tenebræ quam lucis privatio. Vocem se videre dicunt, quæ nunquam visus objectum habita fuit, neque vero haberi potest. *Terminos* illi *terræ* nobis narrant ac *fines cœlorum*. Nec veritus est *Christus* dicere qui electi a patre suo fuere coacturos esse Angelos ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ, *ab extremo terræ, usque ad extremum cœli*. Cui talia possint officere, nullus video. Viri enim eruditi norunt quo fine usurpata fuerint. Imperitis autem adminiculo sunt ad Scripturæ sensum animo percipiendum, ac memoria tenendum. Quod ad V. me id genus observationum a proximo parum diversum ducit. Vulgares nempe loquendi ratio-

Apoc. I. 9.

Isai. XIII. 5. XL. 28. XLI. 9. *Ps.* XLVIII. 2. *Marc.* XIII. 27.

rationes a viris sacris frequenter adhiberi, ut a vulgo melius intelligantur. Si expugnatam nobis dirutamque ac solo adæquatam civitatem exhibeant, *Dæmoniorum habitationem* factam esse dicunt, *&* *custodiam omnis spiritus immundi*, quoniam talem sibi deletarum urbium ideam vulgus plerumque efformat. Et qui factum ut *casu* transeuntem Sacerdotem Christus memoret, cum exulare e Religione τὴν συγκυρίαν fides jubeat? nimirum, pro more suo ad communem loquendi formam suos accommodavit conceptus, ut faciliorem illis aditum in hominum mentem pararet.

Apoc. XVIII. 2.

Luc. X. 31.

Quod autem sequitur, inquit *Hieronymus*, vel qui saltem *Hieronymi* nomen præfert; quis vos fascinavit, *digne Paulo*

(*qui*

(qui etsi imperitus est sermone, non tamen scientia) debemus exponere: non quo scient esse fascinum, qui vulgo putatur nocere: sed usus sermone sit trivii: & ut in cæteris, ita & in hoc quoque loco, verbum quotidianæ sermocinationis assumpserit. Hoc fortasse liberius dictum. Sed, ne litem intempestivam auctori illi moveamus, videamus quæ, paucis interjectis, illis subjungit: *Hoc utrum verum, necne sit, Deus viderit: quia potest fieri ut & Dæmones huic peccato serviant: & quoscunque in Dei opere vel cœpisse vel profecisse cognoverint, eos a bonis operibus avertant. Nunc illud in causa est, quod ex opinione Vulgi sumptum putamus exemplum: ut quomodo tenera ætas noceri dicitur fascino: sic etiam Galatæ in Christi fide nuper nati,*

Hieron. in Epist. ad Galat. cap. III. v. 1.

ti, & nutriti lacte, & non solido cibo: veluti quodam fascinante sint nociti: & stomacho fidei nauseante, Spiritus Sancti cibum evomuerint. Quod si aliquis contradicit, exponat quomodo de communi opinione sit sumptum, vallis Titanorum, in Regnorum libris: Syrenæ & Onocentauri in Esaia: Arcturus & Orion, & Pleiades in Job: & cætera his similia: quæ utique vocabula gentilium fabularum & causas & origines habent.

Quamvis autem ista omnia libens agnosco, quatuor tamen illis addenda puto, ne quis ea sequius, prout nunc sunt hominum mores, interpretetur, vel etiam (quod omnium minime voluerim) in sacrorum hominum contemptum torqueat. Primum quidem est, nullam aliam methodi illius adsignari rationem

posse.

posse, quam hominum, quorum causa scriptæ Sacræ Literæ fuerunt, imbecillitatem & Divini Spiritus erga illos commiserationem. Quam enim, ubi expedit, adsurgunt, qui tam vulgares sectantur tamque tritas locutiones! Quam splendidis orationis luminibus, non epistolas solum, historicas narrationes, aut cantica; sed & ipsas censuras querimoniasque illustrant! Quam blandis suavibusque sermonibus in intimos Lectorum sensus irrepunt? Quis in orbe Dialecticus Apostolicarum ratiocinationum vim exæquavit unquam, vel etiam attigit? Remotissima ab intellectu nostro mysteria mira perfundunt luce viri θεόπνευςοι, caliginem omnem ex animo dispellunt, cœlesti amore pectora inflammant, Hæreticorum

eorum ſtrophas humana majori induſtria evolvunt, aciem retundunt: mœrorem præterea abſtergunt, gaudii luxuriem coercent, cordis ſuperbiam reprimunt, cœlos denique animo explicant, animumque ad cœlos rapiunt. Qui tonitru nobis, tanquam *Dei vocem*, populari more repræſentant, patuiſſe ſibi naturæ arcana, ſine ſtudio ullo, abſque vana ingenii aut acuminis oſtentatione iterum iterumque ſignificant. Ad vim olei alludit *Iſaias*, quæ ad Philoſophorum omnium notitiam non pervenit. Quem natura ordinem in corporum noſtrorum conformatione, eundem *Ezechiel* Propheta ſequi exiſtimatur. Utque accuratam, qua præcipue pollebat Vates ille, Architectonices peritiam ſilentio prætermittam,

H. Grot. in Iſai. X. 27.

Hieron. in Ezech. XXXVII. 5. 6.

mittam, rem tacita allusione designat *Oseas*, de qua nihil unquam audivere plurimi, quibus longo tempore trita Philosophorum scripta ac scholæ fuerunt.

H.Grot. in Ose. I. 8.

Quod secundo velim in Sacrarum Literarum decus patrociniumque observatum, est, quod licet in rebus naturalibus, aut nullius ad salutem momenti, plebeias locutiones mutuati Prophetæ, atque Apostoli fuerint, ab illis sibi sapientissimo consilio caverunt, ubi noxio cuidam errori occasionem præbere poterant, neque enim illos videmus, ubi primaria Religionis capita tractant, a nativa verborum significatione discedere, nisi quandoque

Though the scripture doth not vary from the common forms of speech, where the yare groundet upon harmless and lesser mistakes, yet when such are great and dangerous, prejudicial to the glory of God, and interest of Religion, it is then much concerned to reform and rectify such errors. Jos. Glanvil. sadduceism. triumph. considerat. about Witchcraft. sect. VII.

majorem schemati quam voci propriæ vim inesse deprehendant. Aut, si grave quoddam mysterium vulgari loquendi genere quasi deprimant, id illis perraro accidit, eorumque dogmatum tantummodo respectu, quorum veritas perspicue tradita, fidesque firma atque inconcussa in Ecclesia habetur. Non itaque verosimile est, mundi creationem, peccati, omniumque adeo malorum originem, illustrissimum denique Divinæ Justitiæ monimentum non plebeis solum verbis, sed & anilibus fabulis mendaciisque virum Dei *Mosem* incrustasse.

Quod tertio Lectores cupio animis suis defigere, est sententiæ auctorum sacrorum declaratio, quam ipsi aliis in locis tradunt. Quis enim melior,

lior, quis tutior mentis illorum interpres, quam ipsimet? Age ergo, *Mosem* adeamus, quæramusque ex illo, num crediderit mundum caruisse montibus, per sexdecim ad minimum aut septemdecim sæculorum decursum? convenit inter omnes prope Theologos; idque ipse probare titulus potest, Psalmum nonagesimum a *Mose* compositum fuisse. Sic autem ille in Dei laudes statim ibi erumpit. *Domine, refugium factus es nobis,*

Ps. XC. 1. 2.

a generatione in generationem. Priusquam montes nascerentur & terra formaretur ac orbis a sæculis usque ad sæcula tu es Deus. Mitto turpem errorem si vera sit *Archæologi* hypothesis, quo montes terræ coævi efficiuntur. Turpius multo peccasse dicendus erit Psaltes, qui in Dei præconium *hiberas*

nanias

nænias converterit, quam si promiscuæ multitudini illam narrasset. Quis enim talibus encomiis ausit Majestatem Divinam, si fas sit ita loqui, palpare? Et quid inest in istiusmodi laude sanæ rationis? rem antiquitate superat Divinitas tua, quæ ex quassatæ telluris ruina casu efformata est, 1656. annis, postquam tellurem ipsam omnipotens tua Manus ex nihili tenebris eduxit? parum, aut nihil proficies, si de Psalmi illius auctore litem Ecclesiæ moveas. Eodem enim laqueo constrictus teneris, cuicunque ex hominibus illis tribuas, qui acti a Spiritu Sancto loquuti sunt. Nefas enim est Dei Spiritum errori, oblivioni, aut ulli contradictioni obnoxium putare. Quoad montes autem (neque enim abs re fuerit illud hic

Sim. Muis. in Ps. LXXXIX. 13.

hic obiter observare) toto cœlo ab *Archæologo* distare accepimus insignem Judæorum Magistrum. Eos enim non pristinæ telluris fragmenta, sed *magnum & eximium quiddam esse in rerum natura* existimavit, atque ea de causa factum ut ex illis ansam arripiat Psaltes Dei laudes concelebrandi. Sed nihil hic nobis opus est ad Judæorum Magistros confugere, qui tam perspicue adstipulantes habemus viros sacros. Ne quid enim hic de *Mose* dicam, qui montes diluvio anteriores diserte innuit, cum diluvii historiam persequens hisce verbis utitur:

Genes. VII. 19. 20. *invaluerunt autem aquæ supra modum in terra opertique sunt omnes montes excelsi, qui fuerunt sub universo cœlo. Quindecim cubitis invaluerunt aquæ superne, ita ut operirentur montes*

tes

tes. Ne teſtimonio, inquam, illo utar in præſentiarum, quantumvis cauſæ meæ utili, *Archæologum* velim demiſſe attendere quantopere diſtet infauſta quam excogitavit methodus a principiis, quibus in concelebrandis Dei laudibus Divinus Vates inſiſtit.
Abyſſum, inquit, *occultavit, quaſi veſtimento, ut ſupra montes ſtent aquæ: quæ fugiunt ab increpatione tua, & a ſono tonitrui tui præcipites feruntur. Aſcenduntque montes, & in valles deſcendunt, ad eum locum quem eis fundaſti. Terminumque præſtituiſti illis aquis quem tranſgredi nequeunt, ne iterum terram operiant.* Alium mitto montium uſum, quem idem nobis Canticum indicat. Si quopiam Dei timoris ſenſu *D. Burnetius* percelli animum ſuum patiatur, plus ſatis argu-

Pſ. CIV. 6. 7. 8. & 9.
v. 18.

argumentorum illi subministravimus ad illum adducendum ad seriam gravissimorum, in quos lapsus est, errorum pœnitentiam recantationemque.

Quarta superest observatio, quæ diluendo adversarii errori sufficere, mea quidem sententia, poterat. Confudit scilicet ille locutiones vulgares, quæ in tradendis Religionis mysteriis præceptisque usurpantur, cum integra narratione, quam totam ex figmentis coagmentatam asserit. At immane profecto inter res illas discrimen intercedit. Quid enim subest periculi, si res ab omnibus cognitas receptasque, ac multiplici præterea Spiritus Sancti testimonio subnixas verbis exponas, non accuratis quidem aut elegantibus, sed ad eas illorum animis

animis, quorum institutioni incumbis, insculpendas apprime idoneis? At vero, si specie Religionis fabulas in Ecclesiam inducas, fidem illius quatis, veritatem in discrimen vocas, aut illius nervos incidis, certitudinem quamlibet ex hominum animis evellis; cunctas demum historias mysteriaque omnia pessundas, ac dubia efficis. Videat ergo, ac serio apud animum suum dispiciat *D. Burnetius*, num læsæ Dei Providentiæ reum sese peregerit, eadem illa opera, quam ei promovendæ sese impendisse conatur suis Lectoribus suadere.

Si fides cuidam rumori sit habenda, præter illos qui jam stylum adversus eum exacuere, prodituri sunt nonnulli,

qui demonſtrabunt pugnare cum Mathematicis principiis illius hypotheſin, quæ illi plurimum favere; ſibi nimium, hac ſaltem in re, Suffenus exiſtimavit. Adeo a ratione diſcedunt qui Deo ſubjicere rationem ſuam dedignantur! Sed, quidquid illius rumoris ſit, ad nos quod attinet, demonſtraſſe ſat habemus, *Burnetianam* hypotheſin fidei recta adverſari, quam jam ab initio Eccleſia tenuit, quamque continua ſerie tanquam inviolabile depoſitum, ad noſtra uſque tempora ſervavit; ad poſteros porro, invitis omnibus Philoſophis, tranſmiſſura, donec humano genere orbata terra novam formam induat. Antequam ad aliud caput progrediar, condonaturum mihi *D. Burnetium*

vetium ſpero, ſi dixero melius eum de fide meriturum fuiſſe, ſi ſuam compeſcens imaginationem, æquo animi obſequio cum *Peirerio* credidiſſet *doctum & eruditum Moſem a majoribus ſuis, ad quos ejus doctrina inde ab Adamo uſque fideliſſima Poſterorum traditione, quaſi per manus tranſmiſſa & ad eum uſque producta fuerat.* Peire. in præfat. Pentat.

CAPUT IX.

Num rerum temporumque ſeriem Moſes ſectatus fuerit.

PRimam *Archæologiarum* ſuarum partem ex veterum Philoſophorum placitis

totam conflavit *D. Burnetius*. Quid expectare ab illo poteramus proposito ipsius magis consentaneum? Sacris Literis nihil magis infestum, quam Ethnica Philosophia. *Archæologiis* autem nihil magis congruum, quam veterum deliramenta. Si ex illo τῶν καλῶν ψυχῶν φροντιστηρίῳ non exiisset *Burnetius*, nihil profecto, nisi se dignum, præstitisset. At, si me non fallit animus, in secunda operis sui parte gravem errorem admisit. Oblitus enim, vel ipsius libri tituli, *Peirerii* & *Spinosæ* rivulis eam, quanta est, irrigavit: Itane *Archæologum* decebat sese, tritamque vetustate Philosophiam, recentiorum magisterio dehonestare?

Quod ille nobis de Judæorum

Tract. Theolog. politic. capp. II. III. VI. XIII. XIV. XV.

rum inculto ingenio, ac supina ignorantia; quod de adaptato exiguo illorum captui, absque ullo rerum discrimine, virorum sacrorum sermone; quod de adscriptis supremæ omnium causæ naturæ phænomenis commemorat, illud omne plurimi ex *Spinosæ Neologiis* antea didicerant. Nec perperam fortasse dixeris *Spinosam* in eo etiam imitatum fuisse *Archæologum*, quod, dum pietati bellum infert, eam sese tutari ac promovere audacter deprædicat. A *Spinosæ* magisterio ad *Peirerii* disciplinam sese contulit *D. Burnetius*; ne scilicet quid omisisse videretur, quod desperatæ causæ aliquid posset adminiculi adferre; sed hoc illi vitio vertere quis ausit? Cum

Adamo antiquiores homines nobis narret *Peirerius*, *Archæologi* laudem nemo illi jure invideat.

Duo potissimum ab illo *D. Burnetius* emendicat. I. Quidem immensum illum sæculorum tractum, qui reliquos orbes, ex quibus constat universitas rerum a telluris productione dispescit. Utque minus invidioso, quam *Peirerii*, nomine systhema fictitium suffulciret, illud *Hieronymi* testimonio firmavit, quod frustra quæras in loco, quem, cum *Archæologiarum*, tum *Epistolæ Apologeticæ*, margini apposuit. II. Alterum a *Peirerio* commentum mutuatus est *D. Burnetius*, cujus falsitatem oculis subjicere, res est homini in Sacris Literis aliquantisper exercita-

Præadamit. Lib. III. cap. V. & ss. Lib. IV. c. X. & ss.

Hieron. in Tit. I. 2.

citato omnium facillima. Placet illis videlicet quæ brevi narratione, quasi simul juncta, comprehenduntur; eodem tempore gesta supponi in historia sacra, asserere. III. Tertium illis possem addere, argumenta nempe quæ cum hic tum ille, quanquam fine valde diverso, congerit, quibus probet unius diei spatio geri non potuisse multa, quæ primo & secundo *Geneseως* capite referuntur. Tanta enim inter utrumque ea in re similitudo intercedit, ut qui priorem viderit, non possit non illius in posteriori vestigia deprehendere; sed tam multa in præsentiarum non vacat, nec per propositum licet, examini subjicere.

III. cap. 2. & II. Præadamit. lib. IV. cap. 1.

Præadamit. Lib. III. cap. 2. Archæolog. Lib. II. c. VII. p. 293. & 294.

Secundo ut in compendium hancce dissertatiunculam cogamus, simulque ei

 quam

quam breviſſime finem imponamus, duo hic nobis obſervanda ſunt circa virorum ſacrorum methodum, quibus ſcribendam commiſit Spiritus Sanctus rerum ab initio geſtarum Hiſtoriam. I. Quidem eſt, quod, cum id unum ſpectarint, ut homines ſcilicet docerent quo pacto Deus Eccleſiam conſtituerit, illiuſque, vel ſervandæ, vel, ubi neceſſe fuit, corripiendæ curam geſſerit multa prætermiſerunt quæ ad ſcopum illum non pertinent. II. Quod compendii cauſa intervalla rerum actionumve deſignare nil penſi habuerunt.

Quoad prius, eos ita ſe geſſiſſe plurima ſunt quæ demonſtrant. Cum enim librum ſcribere in animo habuerint,

non rerum ponderi aut multitudini parem, ſed ad uſum univerſæ Eccleſiæ comparatum; non expediebat ſolum, ſed & omnino neceſſe erat ut ſummulas tantum ſcripto mandarent. Ecquot enim quantiſque voluminibus, non vulgi tantummodo, ſed & Doctorum fidem oneraſſent; ſi integram accuratamque omnium, per quæ decurrunt, ſæculorum hiſtoriam perſecuti fuiſſent? Videmus præterea trium Regum vitas unico capite, eoque non valde amplo, aliquando comprehendi. Quis hodie ſpatio tam brevi privati hominis hiſtoriam complectatur? At quis etiam poſitum modo principium ex eo ſtatim non inferat? Rem inſuper in Sacris Literis obſervare eſt,

2. Paralip. xxxvi.

quæ superiora ob oculos ponit, quamque virtutem esse in oratione *Cornificius* docet. Ex ipsa nempe narrationis serie colligitur omissa quædam in narratione fuisse. *Ziphæi venerunt ad Saülem in Gibea* (verbis utor historiæ sacræ) *dicentes, annon David abdidit sese in colle Achila, quæ est e regione deserti?* Eo sese recepisse *Davidem* non indicant quæ antecedunt. Benevolentiam qua *Davidem Nahas* prosecutus fuerat, non historia *Davidis*, sed *David* ipse nos docet, ubi Regis illius obitus ad ipsius aures pervenit. *Beneficentia* (inquit) *prosequar Hænonem filium Nahas, quemadmodum pater ejus me prosecutus est beneficentia.* Nisi *Gibeonitarum* cædem Deus tempore *Davidis* ultus fuisset, non

Rhetor. ad Herenn. lib. I. c. 9.

1. *Sam.* XXVI. I.

2. *Sam.* *X.* 2.

1. *Para.* *XIX.* 2.

2. *Sam.* *XXI.* 1. & *ss.*

non innotuisset fortassis miserorum illorum strages *Saülis* jussu edita. Unde quæso factum ut *Johannem* ab *Herode* trucidatum resciverimus, nisi ex judicio quod de *Christi* miraculis Rex impius ferebat? Quis Evangelistarum orandi rationem retulit, quam discipulis suis tradidit *Johannes*, quemque *Christi* Apostoli adducunt ut precandi formulam ab Ipso extorqueant? Exprobratam Judæis a Christo, quam adversus ipsum jactabant, contumeliam Christi Domini historiæ non inseruerunt Evangelistæ; sed illius Salvator, oblata occasione, meminit: Et quam multa ad *Paulum* pertinentia ex *Pauli* Epistolis addiscimus, quorum altum in Actis Apostolorum silentium?

Matth. *XIV.* 1. 2. 3. & ss.

Luc. *XI.* 1.

Luc. *VII.* 34.

1. Cor. *XV.* 2. 2. Cor. *XI.* *XII.* *Gal.* 1. 11.

Quare, perperam omnino ratiocinatur *Peirerius*, cum ex eo probare præsumit quos habemus *Mosis* nomine insignitos libros *congestam esse Apographorum farraginem, quod trunca sint quæ leguntur de Lamecho cap. IV. Genes.* Quoniam occidi virum in vulnus meum & adolescentulum in livorem meum; *nusquam enim* (inquit) *apparet vir ille adolescentulus quem Lamechus occidit*. Quid-ni enimvero integram Scripturam eodem telo confodit? Numquid & confusum, mancum, mutilum apographum habendum dicemus primum *Samuelis* librum, qui *Davidem* exhibens paternas oves pascentem, cæsas ab illo duas immanes belluas premit? Numquid & secundum configemus, qui duabus tantum uxoribus

Præadamit. Lib. IV. c. 1. p. 155. m.

1. Sam. XVII. 34. & ss.

ribus antea *Davidi* tributis, liberos postea recenset quos ex quatuor conjugibus tulit? Cur, amabo, conversum ad *Christum* *Josephum Arimathæum*, insignem illius fidumque ac valde amantem discipulum non memorat ante *Christi* mortem Evangelium? Cur *Jasonis* domum populus *Thessalonicensis* obsidet, quo ex ea *Paulum* sociosque furori superstitionique suæ mactandos extrahat? Nihil antea dictum de *Jasone* illo, nihil de diversantibus apud illum Apostolis fuerat. Numquid ergo & confusis *Peirerii* farraginibus histostoriam Evangelicam, ac postremum *Lucæ* librum, ne alios per quam multos commemorem, accensebimus?

2. *Sam.* *III.* 2. 3. 4. & *ss.*

Matth. *XXVII.* 57.

Act. *XVII.* 5. 6. 7.

Præter seriem narrationis, docent

docent alii libri admitti ſolere quaſdam hiſtoriæ circumſtantias in locis in quibus narratur. Ex multis quæ mihi ſunt præ manibus, pauca ſeligam exempla, quibus hoc luce clarius evadat. Mirifica quædam memorat *Pſaltes* circa Iſraelitarum tranſitum per mare rubrum, quæ nuſquam in *Moſis* libris occurrunt, & in quo veteris *Teſtamenti* loco reperias perterrefactum *Moſem* ſplendore fulgurum ac tonitruum fragore, quibus Deus decoratam voluit legis ſuæ promulgationem exclamaſſe, ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος? hoc ſcilicet tranſactis multis poſtea ſæculis Eccleſiæ tradidit Apoſtolus. At iſta pervulgata ſunt. Quædam illis, non ita forſan trita, adjiciamus. Cladem in deſer-

Pſ. LXXVII. 18. & 19.

Hebr. XII. 21.

deſerto juxta *Pſalten* paſſa eſt decem Tribuum fortiſſima, cujus in hiſtoria *Moſaïca*, nec volam nec veſtigium deprehendere eſt. Quam multa de rerum ſacrarum Miniſtris Prophetæ paſſim queruntur, quibus nulla teſtimonium perhibet *Bibliorum* hiſtoria! Si illuſtrandum commentario ſumas *Ezechielis* librum, cedo, ex quo alio loco hujuſce illius querimoniæ veritatem comprobabis: *Multiplicaſtis interfectos veſtros in urbe iſta, quin plateas eius impleſtis interfectis?* Ex quo, ſive τῶν παραλειπομένων, ſeu alterius cujuſvis libri loco hauſtam probabis hancce quam a *Jeremia* accepimus hiſtoriam: *Anno viceſimo tertio Nabuchodonoſoris tranſtulit præfectus rerum capitalium*

Pſ. LXXVIII: 9.

Ezech. XI. 6.

H. Grot. in Jer. LII. 30. *lium Nebusaradan Judaeorum septingentos quadraginta quinque summa, omnium captivorum numerus, quatuor millium & sexingentorum.* Ab aliis lubens mihi tempero, ut adeam nunc eruditissimum *Archaeologum.*

Lib. II. c. VII. p. 294. *Supponunt* (inquit) *Theologi Adamum consummasse suum cum Eva matrimonium prima nocte. Dein aiunt si Eva adhuc innocua, primogenitum suum concepisset, eum pariter peperisset innocuum, & ab omni labe peccati primi immunem. Unde suam etiam progeniem, patrem quod spectat, ab eodem malo intactum conservasset.* Cum mera sit conjectura illa Theologorum opinio, negari ac rejici sine periculo potest. Si autem negetur, vereor ut illam pos-

sit

ſit *Archaeologus*, cum omni eruditionis atque ingenii ſui apparatu, probabili ullo argumento adſtruere. Sed ut plurimum de jure noſtro in gratiam *oviformici Philoſophi* concedamus, eſto, ad conjugales actus primo connubii die properarint primi parentes. Quid inde extundas? Conceptum in beato illo ſtatu infantem nulla infectum, nulla tinctum peccati macula eſſe debuiſſe? Et hoc etiam conceſſerim, ſi eodem natus quo conceptus die fuiſſet. Sed ita præcoces ætatem illam fructus tuliſſe, nullus adhuc Theologus ſomniavit. Si vero in matris utero per ſeptem, aut novem menſes conſpurcatum jam matris ſanguinem hauſit, quid mirum ſi quandam ex eo labem contraxerit?

traxerit? verum, intemeratus volo inter medias sordes infantulus permanserit. Nonne facilius eum parentes in peccatum, quam parentes serpens pertrahere poterant? Et cui præterea latet satis non esse, ad propagandam generis integritatem, ut alter ex conjugibus peccati sit expers? Heu! quam facile est mendacia redarguere!

Paucis interjectis, ita pergit *Archæologus* Theologos omnes oppugnare, quorum haud ita pridem clypeo sese obduxerat. *Eodem die nova nupta, nescio quo proposito, vagata inter arbores nemoris, incidit in serpentem. Ille serpens colloquium instituit cum fœmina: argumenta jactant, hac, illac, de quadam arbore,*

aut

ant quodam fructu, edendo vel non edendo &c. Cætera lubens prætereo, & præterire prudentia jubet. Decet enim hominum notitiæ illa, quantum in nobis eſt, ſubtrahere, quæ Religioni conflare dedecus poſſunt, & ad Sacrarum Literarum contemptum plures adducere, quos, partim licentia, partim inſcitia nimium proclives ad crimen illud efficit. Ne quicquam iis addam quæ modo a me adducta ſunt, ſerio dico Deumque obteſtor, cui patent intima cordium; niſi indignationem cohiberet debita *D. Burnetii* dotibus reverentia, impetrare ab animo meo non poſſem ut illi hoc in loco impune eſſe permitteret. Quid iſthuc eſt portenti? Tantone œſtro perciti erant *Adamus* &

& *Eva*, ut vix a Creatoris dextera egressi in mutuos amplexus ruerent? Næ! alter alteri serpens fuisset, si tam rapido tamque indomito æstu uterque exarsisset. Si vero priores illos lusus maligna serpentis diligentia anteverterit, quo pacto immunis ab omni peccati labe *Cain* esse potuit; vel si cum Theologis *supponendum sit Adamum suum cum Eva matrimonium prima nocte consummasse*? Suo se gladio ita jugulare virum sapientem profecto non decet.

Sed quod impune affirmat *Archæologus* eodem nimirum die quo luce donati primi parentes fuere, rem illis cum Tentatore fuisse, illud præfracte inficiamur. Idque ut negemus quædam nos ratio-

nes

nes movent, aut etiam compellunt. I. Quidem quod Deo arrisere omnia illius opera cum in ea oculos sexta die, ut antecedentibus præstiterat, conjecit. II. Quod nullibi vel summo digito Scriptor sacer designet peccatum tam cito fuisse in orbem inductum. III. Quod tentationis historia ab altera prorsus sejuncta nobis exhibeatur. IV. Quod eventuum interstitia non soleant fidei nostræ Magistri distinguere. Ut enim a libro *Geneseωs* exordiar, plusquam sexdecim sæcula exiguo paucorum capitum gyro conclusa cernimus; atque adeo res longis a se invicem divisas intervallis. Eadem mothodo scriptas videbis Patriarcharum vitas. Spatium omne quod inter incunabula

nabula sua, & annum ætatis quadragesimum interfuit uno quasi spiritu *Moses* præterlabitur. Alteram τεσσαρακοντάδα eum haud multo post nihilo minus pernicibus alis prætervolare conspicimus. Ita *Joannis*, ita *Christi*, ita Prophetarum traditæ nobis

1. *Sam.* XVI. 11. 18. historiæ fuere. In eodem capite *David* vir nobis & adolescens exhibetur. Toti

2. *Paralip.* VIII. 1. viginti *Salomonis* anni in illius historia prætereuntur.

2. *Reg.* XXII. 3. Ad decimum octavum annum Regni *Josiæ* historicus statim progreditur. Quid multa? Conjunctas matri-

1. *Reg.* IV. 11. 15. monio *Salomonis* filias legimus, nulla de illarum nativitate mentione præmissa. Tantum ergo abest ut ex continua narrationis serie continuus eventuum ordo possit colligi,

colligi, ut contrarium ſæpius inferre cuilibet ſit obvium, qui Scripturæ methodum, non oſcitanter, ut plerique, ſed attentis oculis inſpexerit.

Pluribus opus non eſt, niſi me vehementer animus fallit, ad diruendum *D. Burnetii* ſyſthema. Quare a fuſiori abſtinebo illius examine. Si quid laudis aut bonæ frugis in voluminis amplitudine collocarem, plurima examinaſſem, quæ jam a viris doctis varie circa mundi creationem, primorum hominum tentationem, diluviumque *Noachicum* diſputata fuere. De ſitu Paradiſi nonnulla etiam adduxiſſem, ex iis præſertim quæ eruditiſſimus Huetius haud ita pridem commentatus eſt. Verum,

rum, dandam mihi sedulo operam putavi ne aberrarem a scopo, quem ipse mihi præfinieram: ratus videlicet antiquiorem Scriptoribus esse debere hominum institutionem, quam eruditionis aut diligentiæ vanam infructuosamque ostentationem.

Quandoquidem vero *D. Burnetius* fructum quempiam ex *Celsi Porphyriique* dicteriis nonnullis, & ex unius & alterius eorum, qui Patres apud Christianos audiunt, sententia capere se posse arbitratus est; operæ pretium fuerit utrumque illud præjudicium, antequam opusculum hocce claudam, removere. Quoad prius ergo, veteris Scriptoris verba *Burnetio* reponere, quo celerius ad finem properem, sat habebo: *Si propter Porphyrii*

Comment. in Epist. ad Galat. c. II. 11. int. oper. Hieron.

phyrii blasphemiam alius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus putetur errasse: infinita de Scripturis erunt radenda Divinis: quæ ille, quia non intelligit, criminatur.

Argumentum autem ut diluam ex *Origene* & *Augustino* ductum, duo tantummodo observabo. Primum circa utrumque illum Scriptorem versabitur. Secundum omnes in genere Ecclesiæ Doctores respiciet. *Origenem* norunt omnes variis gravissimisque imbutum erroribus fuisse; quibus effectum proinde fuit ut parum in Ecclesia auctoritas illius valuerit. *Nolo nimium tribuas Origeni*, inquit *Ph. Melancthon*, *aut qui hunc secuti in narratione sacrorum. Th.* autem *Beza* libere profitetur *nullum sibi*

Epist. lib. III. ep. 126.

Epist. suis in N. Testam. observat. præf.

K

sibi magis impurum Scriptorem videri, quam *Origenem*. Fuit quidem multo integrior fama *Augustini*; Sed confutandis hæreticis aptior quam enarrandis Scripturis fuit. Iis enim destitutus præsidiis erat, sine quibus illarum interpretationem suscipere, nimiæ est audaciæ. Atque eo factum ut quod ex Hebraici Græcique sermonis cognitione non poterat, ex luxuriantis ingenii ubertate, manifesto erroris periculo, mutuatus fuerit. Sed quid *D. Burnetio* prodest, duorum Scriptorum patrocinium emendicare, ex quorum scriptis varii coargui possint ipsius errores? Si nos provocare forte in mentem veniat, illi omnibusque efficiemus ut pateat, cum temere in amicorum censum

R. Sim. hist. crit. Vet. Testam. Lib. III. c. IX. & hist. crit. vers. N. Testam. c. XXXV. p. 409.

censum retulisse qui ipsi infestissime adversantur.

Sed si, cum in Parabolicis Scripturæ Sacræ expositionibus, tum in aliis, *Burnetio* cum *Augustino* atque *Origene* apprime conveniret, parum inde roboris causæ illius accederet. Nam vel apud ipsos Pontificios in confesso est fidei articulum non posse nisi ex unanimi Patrum omnium consensu conflari. Nullus autem non adversatur novo *Archæologi* systhemati. Quorsum ergo nobis *Augustinum Origenemque* objicit? Si Patres non agnoscat fidei suæ duces ac Magistros, per ipsum nobis licet illorum detrectare auctoritatem. Si nefas putet ab illis dissentire, quam parum convenit duos sexcentis anteponere? *Quamvis mi-*

nime sit temeritatis argumentum, inquit Pontificius Scriptor, *singularis cujusvis viri sancti aut antiquioris Patris opinioni adversari, maxime si eum a reliquis in hoc dissentientem novimus; verum tamen ut unanimi Sanctorum Patrum in re Theologica sententiæ pertinaciter quisquam obluctetur, absque temeritatis alicujus nota fieri nequit.*

H.Holden.Analys. div. fid. Lib. II. c. VIII.


Quanquam is ego non sim, qui de Patribus ausim dicere quod Erasmus de Ecclesia, tantum apud me valet illorum authoritas, ut cum Arianis & Pelagianis sentire possim, si probassent Patres quod illi docuerunt: *Veneror tamen, ut par est, eorum canitiem, eruditionem suspicio, sententias amplector, modo Sacris Literis consonæ sint; sin ab eis defle-*

deflectant, *ita* Patres *revereor*, *ut agnoscam* homines. *Imo*, *ut quod res est fatear*, *vinum fuisset multo generosius illorum Theologia*, *si eam Ethnica Philosophia*, *quam vel e Stoa*, *vel Lyceo*, *vel Academia prius hauserant*, *non diluissent*. Attende, *Burneti*, ac resipisce. *Johann. Arowsmith. orat. secund Antiweigel.*

FINIS.







INDEX CAPITUM

Quæ in hoc Libro continentur.

CAP. I. *Singularia quædam circa Auctoris* Archæologiarum Philoſophicarum *principia. Pag.* 9.

CAP. II. *Adducuntur nonnulla alia eo-*

eodem spectantia. 20.

CAP. III. *Quædam alia in* CL. Burnetii *principiis ac scribendi ratione notantur, quæ a debita Deo, Deique verbo reverentia nonnihil discedere videntur,* 35.

CAP. IV. *Superioribus adduntur quædam, quæ* CL. Burnetio *excidere, vel quæ Systhemati suo, tanquam fundamentum, substravit.* 54.

CAP.

CAP. V. *Num tutum ſit ex veterum Philoſophorum, aut aliorum Ethnicorum, ſententia, Scripturæ Sacræ ſenſum definire; & undenam Philoſophi ſuam hauſerint ſapientiam.* 78

CAP. VI. *Quam caute inducendæ ſint in Sacras Literas allegoriæ, quamque immerito in allegoricum ſenſum* Geneſεωs *priora capita torqueantur.*

tur. 106

CAP. VII. *Num Parabolis accenseri debeat historia creationis mundi, tentationis primorum parentum, & universalis diluvii.* 136

CAP. VIII. *Num in omnibus ad vulgi captum sacri Scriptores sese demiserint, numque, si hoc eos quandoque præstitisse pro certo habendum sit, quidquam inde præsidii* CL. Burnetii *causæ accedat.* 163

CAP. IX. *Num rerum temporumque seriem Moses sectatus fuerit.* 195

Finis Indicis.





